

10 bac: Eitelberga.

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

Ha. 13.

Galen. 3. de diff. puls. cap. 1.
De verbis in Philosophia operose disputare
est de asini umbra vixari

~~...~~
~~...~~
1506
Kalend. Maij.



DE VERA
RELIGIONE,

POTISSIMA CAPITA DO-
CTRINÆ CHRISTIANÆ PERSPI-
cuè & breuiter exponentes,

E T

*Orthodoxam confessionem Ecclesiarum Electo-
ralis Palatinatus asserentes,*

In vsum Studiosorum S. Theologiæ,

Scripti à

QUIRINO REUTERO D.



HEIDELBERGAE

E Typographeio Johannis Lancelloti

CIO IO CII.

INDEX.

- I. De vera Religione pag. 3.
II. De sacra scriptura 22.
PARS PRIMA.
III. De vera humilitate, Peccato & Libero Arbitrio. 28.
PARS SECUNDA.
IV. De Redemptione. 34.
V. De Persona CHRISTI 36.
VI. De officio & beneficiis CHRISTI, ubi simul de Prae-
destinatione. 46.
VII. De Fide & Justificatione 55.
VIII. De Sacramentis 60.
IX. De Baptismo 65.
X. De Coena Domini 67.
PARS TERTIA.
XI. De officio nostro, nempe de Bonis operibus & Re-
ge DEI. 71.
XII. De Inuocatione DEI 86.

In vltimo studio...



HEIDELBERG

In vltimo studio...





APHORISMI

DE

VERA RELIGIONE.

L



MNIS VITÆ BONÆ AC BEATÆ via in verâ religione constituta est, quâ vnus Deus colitur, & purgatissimâ pietate cognoscitur: vt scitè loquitur Augustinus libro de verâ religione cap. 1.

2 Hac enim religione, hominis anima se vni Deo, à quo se peccato velut abruperat, reconciliatione religat: Vnde & religio dicta creditur. Illi ergo religantes animas omni superstitione careamus: sicut monet idem Augustinus, de quantitate animæ, cap. 36. & de verâ religione, cap. 55.

3 In eandem sententiam eleganter & copiosè disserit Lactantius, Institutionum diuinarum libris: in primis lib. 4. cap. 28. & lib. 6. c. 1. & 9. Hoc vinculo pietatis, inquit, obstricti Deo, & religati sumus; vnde ipsa religio nomen accepit; non, vt Cicero interpretatus est, à relegendo, &c. sed quòd hominem sibi Deus religauerit, & pietate constrinxerit: quia seruire nos ei, vt Domino, & obsequi vt patri necesse est. Id enim est hominis officium; in eoque solo summa rerum, & omnis beatæ vitæ ratio consistit. In hoc est spes omnis, ac salus hominis: hic est sapientiæ gradus

A ij.

primus

primus, ut sciamus, quis sit nobis verus pater, eumque solum pietate debitam prosequamur: huic pareamus; huic deuotissimè seruiamus, &c.

4 Sed iure cum eodem Lactantio lib. 2. Instit. cap. 1. miramur, summam illam Dei maiestatem apud homines in tantam venisse obliuionem, ut, quæ sola coli debebat, sola potissimum negligatur. Imò deploramus meritò, nostram quoque ætate reperiri quosdam Diagoras ἀθεῖς, ac pseudopoliticos impios, qui religionem opinentur esse μαρομαλύνειον quoddam, seu callidorum hominum inuentum, ut eo, tanquam freno, plebs coërceatur, ac metu numinis in officio contineatur: cum nulla res efficacius multitudinem regat alioquin impotentem, sæuam, mutabilem, quàm superstitio. Sic olim Curtius lib. 4. Liv. lib. 39. scripserunt.

5 Verum enimverò tales θεομάχοι detestandi potius, & fugiendi, quàm argumentis refutandi, aut conuincendi sunt: cum audeant etiam naturæ, & conscientiæ suæ vim inferre, dum illam κενὴν ἔννοιαν, siue principium, Esse Deum, eumque colendum, ex animis radicibus extirpare conantur: quod tamen omnibus hominibus & nationibus quantumvis feris & barbaris inseuit & manifestauit Deus: ut docet Apostolus. Rom. i. v. 19. ipsis quoque gentilium sapientibus, ac legum latoribus attestantibus; qui studio religionis nihil magis consentaneum naturæ, conditioni, officio & fini hominis, adeoque necessarium, nihil quoque utilius; Eiusdem verò religionis neglectu nihil turpius ac perniciosius esse constanter asseruere. Vide Ciceron. de natura deor. & diuinat. lib. 2. & de legib. Valer. Max lib. 1.

6 Superstitio quidem humanis mentibus eximenda: sed non simul cum eâ veræ religionis semen, amor & cultus euellendus, sed potius magnam curam plantandus, fouendus, augendus, ac commendandus est; quò se propterea conditos, ac in hoc mundo collocatos esse singuli meminerint, ut Creatori debitum honorem ac officia præstent, & ab eo diuinum præmium æternæ beatitudinis accipiāt.

7 Nec enim omnis, quæ dicitur, religio, hoc est, quæuis ratio colendi Deum, vera esse, ac vel Deo placere, vel homini salutem adferre potest.

§ Ideò

8 Ideò suave illud, sed perniciosum, adeòque in Deum Opt. Max. contumeliosum somnium quorundam in Epicuri scholâ nimum edoctorum, vnumquemque in sua religione, vel potius superstitione Deum colere, ideòque saluum fore, prius explorandum est.

9 Vnus enim est Deus, Pater omnium, vna fides, vna spes, vna via, veritas, & vita, salusque. Ephes. 4. v. 4. 6. Iohan. 14. v. 6. Act. 4. v. 12. Vnus igitur ille Deus colendus vnâ illâ fide, & ad eum contendendum est eadem via, quam monstravit; à qua qui aberrat, à vita abalienatus est, extraneus à pactis promissionum, sine spe, & sine Deo. Ephes. 4. v. 18. & 2. v. 12. Et sicut omnes homines vnus morbus inuasit, & tenet, ac eadem mors perdit; sic vnum etiam est remedium, quo è morbo illo & morte liberentur, ac in spem vnus hæreditatis cœlestis, & gratiam Dei vitamque restituantur.

10 Si quæras: Quæ sit igitur vna illa vera religio? Respondeo: Ea demùm est, quæ vero Deo vero quòque cultu seruit, vel ea, quæ ab vno vero Deo patefacta, ipsum honorat cultu naturæ & voluntati diuinæ conueniente, & ad eiusdem, vt summi boni, *κρίνωσιον* & fruitionem hominem reducit.

11 Contrà falsæ sunt omnes illæ religiones, quæcunque vel fictitio numini, vel vero quidem Deo, sed falso, fictiòque cultu seruiunt: quorum illud *ειδωλολατρείας*, hoc *εἰδωλοδρησκείας* crimen est; vtrumq; Deo abominabile.

12 Neque obscurum esse potest, hisce notis veram religionem à falsis omnibus discerni; quæ notæ à causa efficiente, formali & finali desumptæ sunt.

13 Cum enim Deus, nisi se ipse patefaciat, non cognoscatur, & idem solus sit idoneus testis, index & iudex legitimi sibi que probati cultus, quo ad ipsum, tanquam vltimum finem, & *αὐτοαγαθὸν* perueniamus: necesse est illam solam esse veram religionem, quæ Deum habet autorem; quæ præscriptum ei cultum tribuit: quæ denique miserum hominem Deo rursus vnit ac coniungit: in quo beatitudo consistit.

14 Ac primum quidem manifestum est, veram religionem esse *θεόδοσον* siue *θεόπνευστον*, vel *θεοδιδακτον*, hoc est, à Deo datam, inspiratam, & edoctam. *Deum enim*

nemo vidit unquam: unigenitus ille Filius, qui est in sinu Patris, ipse nobis exposuit. Iohan. 1. v. 18. Nam ille solus immortalitatem habet, lucem habitans inaccessam, quem nemo hominum vidit, neque videre potest. 1. Timoth. 6. v. 16. Quod Irenæus expressit his verbis: Quia impossibile erat sine Deo discere Deum: per verbum suum docet homines scire Deum. libro 4. contr. hæres. cap. 10. Ideo, cum de rebus Dei sermo est, (ait Hilarius lib. 1. de Trinitate) concedamus cognitionem sui Deo. Idoneus enim sibi testis est, qui, nisi per se, cognitus non est. Et lib. 5. A Deo discendum, quid de Deo sit intelligendum: quia non nisi se autore, cognoscitur. Sic & Ambros. lib. 5. epist. 31. cui magis de Deo, quam Deo credam? Augustinus idem passim lib. de Ciuit. Dei inculcat: Religionem veram non à terrenâ aliquâ ciuitate institutam esse, sed inspirari & doceri à vero Deo, qui det vitam æternam omnibus suis cultoribus.

15 Hinc rectè cum Lactantio lib. 4. cap. 28 sic inferimus: Nimirum religio veri Dei cultus est; superstitio falsi. Et quidem vnus veri Dei: non etiam aliorum simul Deorum. Nec enim fieri potest, vt, qui hos colit, etiam Deum colat. Quoniam si honos idem tribuitur aliis, ipse omnino non colitur: cuius religio est, illum esse vnum, ac solum Deum credere: dicit idem Lactant. lib. 1. cap. 19.

16 Verus autem & vnus Deus est is, qui se patefecit operibus & verbo per Prophetas & Apostolos tradito, Iehoua Elohim, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Hæ enim tres personæ subsistunt in vna Dei essentiâ proprietatib. distinctæ, sed consubstantiales, & coæternæ.

17 Sic nos docent & credere iubent sacræ scripturæ Matth. 3. v. 16. in baptismo Christi personæ tres apparent, & expressè distincteque nominantur, Pater, Filius, Spiritus Sanctus Matth. 28. 19. Apostoli discipulos Christi baptizare iubentur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Ioh. 14. v. 16. & 26. dicit Christus: Rogabo Patrem, & alium paraclitum dabit vobis. Consolator ille Spiritus Sanctus, quem mittet pater in nomine meo, vos docebit omnia. Ioh. 15. 26. Cum venerit consolator ille, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritus ille veritatis, qui à patre emanat, ille testabitur de me. 1. Ioh. 5. 7. Tres sunt, qui testificantur in cœlo, Pater, Sermo,

Sermo, & Spiritus Sanctus, & hi tres vnum sunt. 2. Cor. 13. 13. Gratia Domini nostri Iesu Christi, & caritas Dei, & communicatio Spiritus Sancti sit cum omnibus vobis. Hic cum appellatione distinctâ trium personarum coniungitur earum inuocatio, tanquam vnius Dei. Rom. 8. v. 11. Si Spiritus eius, qui excitauit Iesum à mortuis, habitat in vobis, &c. Gal. 4. 6. Quoniam estis filii, misit Deus spiritum filii sui in corda vestra clamantem: abba, pater. Ephes. 2. 18. Quoniam per ipsum habemus accessum ambo in vno spiritu ad patrem. Tit. 3. v. 6. Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit, per lauacrum regenerationis, & renouationis spiritus sancti, quem effudit in nos abundè per Iesum Christum saluatorem nostrum. Ex veteri Testamento tùm prisci Patres, tùm orthodoxi nostri theologi præter alia multa allegant ista. Genes. 1. v. 1. in principio creauit Elohim. & v. 2. Spiritus Domini ferebatur super aquas. & v. 26. Faciamus hominem ad imaginem nostram. Gen. 3. v. 25. Ecce Adam quasi unus ex nobis. Gen. 19. 24. Iehoua pluit super Sodomam & Gomorham sulphur & ignem à Iehoua de cælo. Gen. 11. 7. Venite igitur, descendamus, & confundamus ibi linguam eorum. Ies. 6. 8. Quis iturus est nobis? Et cap. 61. 1. Spiritus Domini Iehoua est super me, eò quòd unxerit Iehoua me. & cap. 63. v. 9. 10. nominatim meminit Iehouæ, angeli faciei eius, & Spiritus sancti: Angelus faciei eius seruauit eos, & dolore affecerunt Spiritum sanctitatis eius. Psal. 110. 1. Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis prouerb. 8. disseritur de æternâ Dei sapientiâ, quæ est Filius Dei. Similia loca colligi possent plura de personarum diuinarum trinitate & distinctione: quæ si cui non omnia videntur argumenta necessaria & clarissima, sicut in Vet. Test. pleraq; mysteria tradita sunt obscurius: tamen ob euidentem consensum totius sacre scripturæ & primitiuæ Ecclesiæ sunt magnificienda. Nam hæc est orthodoxa fides, ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in Vnitate veneremur, neque confundentes personas, neq; separantes substantiam: inquit Athanasij Symbolum. Hic ergo DEVS solus colendus est verâ religione.

18. Iam verò ad alteram veræ religionis proprietatem

A iij.

nempe

nempe formam cultus, quod attinet: apertum est, eam demum legitimam esse, quæ voluntati divinæ sit consentanea. Est enim voluntas DEI omnis iusti, veri, boni regula unica, constans & immutabilis. Ipsius ut Creatoris, & Imperatoris summi ius hoc proprium est, cultum sui rationalibus creaturis præscribere & mandare.

19. Quod ipsum etiã saniores inter gentes animadvertunt. Socrates Deum, quo modo ipse præceperit, sic colendum esse iudicavit, teste Xenophōte in ἀπομνημ. α. & Aug. 1. de consensu Euangel. cap. 18. Sic Cicero dixit: In religionibus suscipiendis caput esse, interpretari, quæ voluntas Deorum immortalium esse videatur. Orat. pro domo.

20. Sed nimum audax omnibus seculis fuit hominum genus, tum in numine deligendo, tum in eius veneratione pro suo lubitu constituendâ: quam furiosam audaciam ut reprimeret Deus, certam sui colendi rationem verbo definiuit, quod in sacrarum literarum monumenta propterea referri voluit, suoque populo diligentissime commendavit.

21. Ab hoc verbo quicumque in ipsa etiam Ecclesiâ descendunt, licet operosarum & sumtuosarum ceremoniarum, ac aliorum ἀσφαρίτων, à semet ipsis excogitatorum, & in speciem præclarorum operum cumulis, seu potius crepundis diuinam maiestatem sibi demereri satagant: incassum tamen laborant, & omnem operam & sumtum perdunt. Frustra enim colunt me mandatis & doctrinis hominum: ait verus Iehova Ies. 29. 13. Matth. 15. 8.

22. Imò ne quidem verum Deum isti colunt. Nam (ut rectè August. tomo. 4. de consensu Euangel. lib. 1. cap. 18.) si qui alio modo eum colere vellent, quàm se colendum esse dixisset, non utique Deum colerent, sed quod ipsi finxissent.

23. Denique non minus aperta est tertia nota: nempe religionis veræ finem esse tum gloriam Dei, tum hominis salutem & beatitatem.

24. Hoc enim ne quidem ipsi gentilium sapientes ignorarunt, quib. religio dicta est via ad Deum: finis hominis, cuius causâ sint omnia condita: ipse verò propter Deum: item virtutum omniū mater, dux & princeps: eoq; regressus

sus ad beatitudinem. Sic Hermes Trismegistus: Plato in Epinomide & Theæteto. Epictetus. Hierocles. Iamblichus. Proclus. Stoici.

25. Constitutâ veræ religionis definitione, quænam illa sit in tantâ opinionum varietate, paucis dispiciamus. Nec enim quenquam latet, eius possessionem sibi non solos Christianos, sed etiam gentiles, Iudæos, Mahometanos, Pseudochristianos, agmina sanè diversissima, vindicare, acerrimeque de eâ dimicare.

26. Veruntamen homini pio facile fuerit ex modò dictis *κειμελίου* de tanto tot sectarum certamine verû iudicium ferre. Nam primò gentilium vanitas est manifestissima: cum veri Dei ignari serviant ijs, qui naturâ dij non sunt. Gal. 4. 8. Idolis nempe mutis, hominumque vel dæmonum fallacium cōmentitijs deastis; & illorum *πολυθεότης* nihil aliud sit, quàm *ἀθεότης*: olim etiam à piâ vetustate luculentissimè confusa, & confutata.

27. Deinde Iudæorum infidelitas à verâ religione longissimè abest. Dum enim Iesum Christum Filium Dei & Evangelium eius negant, & blasphemant, neque Deum patrem habent, nec vitam, sed ira Dei manet super eos secundum dicta 1. Ioh. 2. v. 23. *Quisquis negat filium, nec patrem habet: Qui agnoscit filium, etiam patrem habet.* Et Ioh. 3. v. 36. *Qui credit in filium, habet vitam æternam. Qui verò non credit filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum: Ut taceam somnia illorum de Messia scilicet venturo, & regno eius politico: de legali iustificatione, ac ceremoniarum necessitate, & aliis id genus inanissimis figmentis per ipsos Apostolos, quorum eadem est doctrina quæ Prophetarum, testium apud Iudæos authenticorum, ante tot secula subuersis.*

28. Similiter Mahometani aberrant à vero Deo, & eius voluntate ac cultu: cum & ipsi sint hostes filii Dei, & nominis Iesu Christi: ac verbo Dei præponant Alcoranû putidissimum, enthusiasmis futilissimis refertum, & auræ populari, ac affectibus militarium hominum accommodatum.

29. Sed neque omnes, qui Christianorum nomen profitetur, de vera religione gloriari meritò possunt: cum multi

multifariam à veritate doctrinæ cœlitus patefactæ discedant, & alii alios articulos fidei vel palam negent, vel saltem falsis interpretationibus deprauent, easque corruptelas astruere conentur ex ipso Dei verbo, sed malè intellecto & detorto ad Dei contumeliam, & suam perniciem: ut hæretici, qui non agnoscunt Deum Filium, ac Spiritum sanctum; qui vel naturas, earumque unionem, vel officium, ac beneficia Christi Redemptoris quocummodo impugnant aut labefactant, aut alias impetrandæ salutis rationes quærunt &c.

30. Ac certissimum est illud Apostolicum axioma: Quisquis transgreditur, nec permanet in doctrina Christi, Deum non habet. *Qui manet in doctrina Christi, hic & Patrem & Filium habet.* 2. Ioh. v. 9.

31. Quid igitur restat, nisi ut sic concludamus? Ergò sola Christiana religio, in qua unus verus Deus verè, & secundum doctrinam Christi, vel verbum ipsius, in scripturis canonicis revelatum, colitur, ac glorificatur, & homines saluantur, vera est, & esse potest.

32. Talis autem est ea, quam Ecclesiæ nostræ ex Dei verbo reformatæ profitentur, religio; quam verè Christianam, & catholicam dicere possumus, imò affirmamus, & afferimus: tum quia uniuersam doctrinam pietatis ac salutis à Christo annunciatam continet: tum quia Christianis orthodoxis & fidelibus omnibus, vbiuis locorum, & quorumuis temporum, quoad fundamentum, communis est.

11 eadē om̄nem electorum q̄ veritate pietatis agnoscunt. Eph. 4. v. 5.

Vna enim est fides, religio nostra.

33. Nam & vnum verum Deum in tribus personis, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum secundum patefactiones agnoscit, & eius ritè, nimirum ex præscripto voluntatis ipsius, colendi, salutisque consequendæ certam rationem docet, vivamque consolationem in vita & morte, ac fiduciam & sensum gratiæ, reconciliationisq; Dei adfert: quod initium est æternæ beatitudinis.

34. Contra reijcit & damnat religio nostra uniuersas hæreses, & errores, qui vel alium Deum à patefacto, vel alium cultum, aut diuersum à mandato diuinitus cultu, vel diuersam à cœlesti Prophetarum & Apostolorum doctrinam fingunt.

35. Et

35. Et planè consentimus Augustino de vera religione sic iudicanti: *Eam esse non querendam ab eis, qui eadem sacra suscipiant cum populis: neq; in confusione paganorum, nec in purgamentis hæreticorum, nec in languore schismaticorum, nec in cæcitate Iudaorum; sed apud eos solos, qui Christiani Catholici vel Orthodoxi nominantur, id est, integritatis custodes & recta sectantes, capite 5. lib. de ver. relig. Huius religionis sectanda caput est historia & prophetia dispensationis temporalis diuina prouidentia pro salute generis humani in æternam vitam reformandi atq; reparandi. cap. 7. & 10. &c. Et cap. ultimo:*

36 Hæc itaque religio est vera θεολογία καὶ θεοσίβεια, in sacris scripturis ab ipso Deo nobis tradita, ideoque etiam in ijs solis quærenda. Hanc Divus Paulus definit ἐπίγνωσις ἀληθείας τῆς κατ' ὁσέβειαν id est, agnitionem veritatis, quæ est secundum pietatem. Tit. 1. v. 1. Imò hæc est illa ipsa ὁσέβεια, cuius γυμνασίαν idem Apostolus nobis commendat. 1. Timoth. 4. v. 8. pietas, inquam, ad omnia utilis, habens promissionem vitæ præsentis & futuræ.

37. Nec enim theologia vel religio in theoria & speculatione, vel nuda scientia, sed in ipsa praxi ac obedientia erga Deum; in caritate ex puro corde, & conscientia bona, & non simulata, sed vera fide in Christum, consistit. 1. Timoth. 1. v. 5. 1. Ioh. 3. v. 23. Hæc est doctrina eius, ut credamus in nomen Filii eius Iesu Christi, & diligamus alii alios, sicut mandauit nobis. Ideò D. Iacobus Apostolus illam ab operibus vel effectis veræ cognitionis Dei & fidei sic describit cap. 1. v. 27. Religio pura & immaculata apud Deum hæc est, inuisere orphanos & viduas in afflictione ipsorum, & immaculatum seipsum seruare à mundo. Et cap. 3. v. 17. quòd sit sapientia cœlestis, pura, pacifica, moderata, tractabilis, plena misericordiæ & fructuum bonorum, ἀλόγως, ἀνυπόκριτος, id est, absque disceptatione, & sine simulatione. Nam Deus non ἀκροατὴς sed ποιητὴς verbi sui requirit Rom. 2. 13. Iacob. 1. 22. execratur autem irreligiosos hypocritas, qui μόρφωσιν habent pietatis; sed vim eius abnegant. 2. Timoth. 3. v. 5. qui in externis occupati, relinquunt quæ grauiora sunt legis, iudicium, misericordiam

diam & fidem, Matth. 23. v. 23. qui Deum se scire profiterentur, factis autem negant. Tit. 1. v. 16.

38. Præter hæc, quæ dixi, veræ religionis *γυναισμογται*, sunt & alia plura testimonia Christianæ doctrinæ veritatem confirmantia, ex antiquitatis venerandæ monumentis à præceptoribus nostris collecta & repetita, ad fidelium elenchum & redargutionem, fidelium plerophorian & consolationem: quæ libet in gratiam studiosæ iuuentutis *βραχέως* & *σαφέως* recensere, ac obiter vindicare à cauillis aliquorum, qui eadem ad Papanam superstitionem stabilendam detorquere non erubescunt.

39. Primum argumentum est à perfectione legis. Ea enim religio procul omni dubio vera est, quæ legem Dei integram & puram retinet & docet. Falsa autem, quæ eam vel abijcit, vel mutilat, vel deprauat, aut violat. Atqui nostra Christiana doctrina seruat & tradit integram & incorruptam legis vocem.

40. Contra Pontificij & mutillarunt legem, *ε*raso ex tabulis Decalogi sacrosanctis, ipsissimæ diuinæ maiestatis digito exaratis, præcepto de non faciendis neque colendis simulacris: quod etiam ex libris omnibus expunctum, & ex animis populi sublatum vellent, ut imagines & statuæ in templis, earumque veneratio in mentibus tutiorem & stabiliorem sedem haberent: & eandem legem variis corruptelis, priscorum Phariseorum more, deprauarunt: cultus diuersos instituendo: multa prohibita permittendo: tū etiam docendo, non quicquid legi Dei repugnat, esse peccatum: concupiscentiam non esse propriè & in sese peccatum; prauos motus & inclinationes absque pleno consensu, iniquitatis damnabilis aut noxæ rationem coram Deo non habere: legem item Dei nobis in hac vita facilem esse, & impleri, modò quantum in nobis est præstiterimus: eaq; obseruatione & operibus salutem ac vitam acquiri: dum item traditiones suas æquant, imò præferunt præceptis legis diuinæ, illarumque violationem grauius & damnabilius peccatum perhibent, quàm horum: Sic abrogant mandatum Dei, ut traditionem hominum seruent: quod Phariseis exprobrat Christus. Marc. 7. v. 9. & 13. *Benè aboletis mandatum Dei, ut traditionem vestram seruetis: Irritum*

*Irritum facientes sermonem Dei traditione vestra, quam tradidistis: Imò de mandatis Dei sæpissimè pro lubitu dispē-
sant, ἀλλ' ἔκ ἀμείδι:* Denique libro sit opus, si quæcunque illi decalogo repugnantia dogmata ac facta tuentur, sigil-
latim percensere libeat.

41. Alterum argumētum ab Euangelii doctrina petitur. Illa religio vera est, quæ viam ad beatitudinem mon-
strat talem, quæ Dei iustitiæ conueniat, & solidam con-
solationē miseris hominibus afferat. At nostra religio Chri-
stiana docet eiusmodi rationem salutis, quæ propter Chri-
stum nobis contingit, salua Dei iustitia: sicuti constat ex
Euangelio: quod idè Euangelium salutis dicitur: Eph. 1. 13.
& in vita ac morte nos consolatur.

42. Contra Pontificij, sicut nec peccati magnitudinem,
nec iram Dei, & maledictionem legis satis expendunt: sic
neque veram salutis viam docent, neque saluam iustitiam
Deo relinquūt; ut quem suarum satisfactionum *συνβάλοις*
placare conantur: neque conscientijs afflictis cōsolationem
adferunt: cum his continuò scrupulos iniiciant, an sit ho-
mo perfectè contritus, confessus, expiatus: num sufficiant
opera à se præstita; quid si fortè nimium exilia sint, quàm
ut coram tribunali Dei consistant: annon alii quoque modi
satisfaciendi & expiandi peccata, (quos illi sexcentos com-
menti sunt) vel in ipso agone, imò etiam à morte sint neces-
sarij: Cum denique singulos etiam credentes de gratia Dei,
& vita æterna semper dubitare iubeant; quæ est manife-
sta carnificina conscientiarū, fons & abyssus desperationis.

43. Tertium argumentum ab antiquitate ducitur. Anti-
quissimū quodq; verissimum. Est autem antiquitas vera ab
antiquo dierū, hoc est, Deo, & à Christo, qui ante omnes
est, & ipsa veritas, repetenda. Nam alioqui consuetudo sine
veritate, vetustas erroris est: ait Cyprianus: Et Tertullianus
præclare scripsit: veritati nemo præscribere potest, non spa-
tium temporum, non patrocinia personarum, non priuile-
gium regionum. / Ex his enim ferè consuetudo initium ab
aliqua ignorantia, vel simplicitate sortita, in usum per suc-
cessionem corroboratur, & ita aduersus veritatem vindi-
catur. Sed Dominus noster Christus veritatem se, non con-
suetudinem cognominavit. Quodcunque aduersus verita-
tem

tem sapit, hoc erit hæresis, etiam vetus cōsuetudo. Et Ambrosius: Nova sunt, quæ Christus non docuit. Ac ante hos Ignatius dixit: Mihi antiquitas est Iesus Christus, quem non audire manifestus interitus est.

At nostra religio est illa antiquissima, quæ à Deo primùm patefacta, & verbo scripto comprehensa est: ad quod solum in controuersis prouocamus: quia sermo Dei est veritas, ait Christus Ioh. 17. v. 17. neque magis noua dici potest, quàm ipsa Christi doctrina noua dicta est Marc. 1. v. 27. sed ab imperitis, quibus vetera sunt noua, & noua vetera putantur.

44. At Pontificia religio non est illa prima & antiquissima, à Deo profecta, sed ab hominibus paulatim introducta, & longiusculi temporis vsu & consuetudine confirmata ac stabilita. Quid enim est Papatus (quatenus in controuersiam venit, & ab eo nos seiunximus) nisi farrago traditionum humanarum, & ἐθελοθρησκείων, vel ex Iudaismo, Gentilismoque mutuatitiarum & cacozeleia quadam arreptarum, vel alioquin ex humani cerebri figmētis, bonaq; , prout videbatur, intentione, natarum: quarū origines & incrementa possunt ex historijs ostendi. / Primatus Papæ, (quem ut credamus, est de necessitate salutis: ut ipse quidem decreto statuit) post Gregorij primi tempora, qui grauissimè in Patriarcham Constantinopolitanum talem ὑπεροχὴν affectanter, tanquam Antichristi præcursores inuectus est: seculo Christianæ æræ septimo demùm à Phoca Imperatore parricida, per Bonifacium tertium Romanū Pontificem impetratus est: unde calamitas Ecclesiæ potissimùm extitit, & superstitiones cumulate sunt. Ac ut Monachorum agmina numerosa: sic & dogmata pleraque recentia sunt, quæ ab illis ante pauca secula conficta, & vi magis quàm rationibus obtenta, ac imperitis ubique obtrusa: qualia sunt de invocazione diuorum diuarumq; innumerabilium: de cultu imaginum & statuarū, ac ad eas peregrinationibus: de transsubstantiatione, quam anno. 1215. in Lateranensi cōcilio ab Innocentio. 3. stabilitam esse constat; de adoratione & circūgestatione panis illius consecrati, præcipuè in festo corporis Christi, ab Urbano. 4. Papa instituto: de calice laicis adimendo ex concilii Constantiensis, anno. 1415. sanctione: & sexcenta

centa talia: quæ si quis antiquissima, ideoq; verissima putat, nã ille in turpi vanissimæ opinionis errore versatur.

45. Quartum argumentum veritatis fidei nostræ sunt miracula, omnibus creaturis ἐπιμνησθησάντων, id est inimitabilia, in veteri & Novo Testamento descripta; præcipuè Christi & Apostolorum, aliorumque sanctorum θαυμαστά & ἔργα in Ecclesia primitiva, quæ certè non nisi divina virtute potuerunt edi; atque à Deo solo edita sunt ad doctrinæ Christi confirmationem: Hæc nostram etiam doctrinam adhuc stabilunt, cum ea non sit diversa, sed eadem, quæ Christi & Apostolorum. Voluit enim Deus miracula iam olim cessare, ne homines iis magis quàm verbo crederent: & ne anima semper visibilia quæreret, eorumque consuetudine frigeret genus humanum, quorum novitate flagrarat. Ideò qui hodiè adhuc prodigia, ut credat, requirit, magnum est ipse prodigium: Augustino teste, lib. 1. Retractat. cap. 13. & lib. 22. de civitate Dei. cap. 8.

46. Quæ verò Papistæ miracula jactant, ipsorum causæ plus officiant, quàm profunt. Nam, quæ doctrinæ miraculis eget, ea nova est, non vetus; quia hæc olim satis confirmata fuit. Deinde non recordantur illi predictionum Christi & Apostolorum, quòd Pseudoprophetæ & Antichristi magna prodigia facturi sint, adeò ut in errorem etiam induci possint electi. Matth. 24. v. 24. 2. Thessal. 2. v. 9. Apoc. 13. v. 2. 13. bestia seducet incolas terræ propter signa. Itaque Augustinus tract. 13. in Ioh. sic ait: Contra istos, ut sic loquar, mirabiliarios cautum me fecit Dominus, dicens: Novissimis temporibus exurgent Pseudoprophetæ facientes signa, &c. Ecce prædixi vobis. Cautos nos fecit sponsus, quia & miraculis decipi non debemus. Denique sæpiùs deprehensi sunt istiusmodi miraculorū venditores. summi impostores, qui fraudes suas credulis persuaserunt esse miracula. Et si maximè nō ementita, vel fictitia essent, tamen ex D. Pauli sententia sunt πρῶτα ψευδῶν. 2. Thes. 2. v. 9. prodigia, mēdacia, tūformæ tū finis respectu: quia sunt præstigiæ, phâta smata: illusiones: quæ vidētur ignaris miracula, revera non sunt: & fiunt ad errores, superstitiones & scelera confirmanda; ad exitium hominum ut pereant, qui iis credunt.

Nam

Nam quis nescit, Satanæ vi multa mirabilia tam in natura non mutata, quam per magos fieri posse, non minus inter Christianos, quam olim apud Ægyptios, Græcos, Romanos & reliquos gentiles? Apollonio Tyanæo dæmonas ipsos cessisse, vel potius obsecutos esse, ut illi deitatis & eius præstigiis verorum miraculorum opinionem conciliarent, & Christi gloriam obfuscarent, notum est ex historicis etiam Ecclesiasticis. Similia in Papatu accidisse non dubitamus. Nostri officij est, non ad illusiones Satanæ, sed ad firmum sermonem propheticum & Apostolicum attendere. 2. Petr. 1. v. 19. Opponimus igitur Pontificiis Augustini verba in libro de vnitae Ecclesiæ cap. 16. Ecclesiam suam demonstrent non in signis & prodigijs fallacibus; sed in omnibus canonicis sanctorum librorum autoritatibus. Remoueantur ista vel figmenta mendacium hominum, vel portenta fallacium spirituum. Aut enim non sunt vera quæ dicuntur: aut si hæreticorum aliqua mira facta sunt, magis cavere debemus.

47. Quintum *νεπιθελον* veræ religionis suppeditant oracula de rebus futuris post longum temporis interuallum, iisque maximi momenti, ad Dei gloriam & Ecclesiæ salutem pertinentibus: Quæ nulla humana sapientia præuideri vel peruestigari, nedum prædici, sed à Deo tantum proficisci & patefieri potuere: quibus euentus quoque responderunt exactissimè; sicuti testantur utriusq; Testamenti libri, tum & aliæ historiæ, ac ipsa experientia. Vnde necessariò colligimus, Deum esse doctrinæ istius autorem, in qua tam illustria & veracissima vaticinia extant.

48. Quid novi patroni Papatus hic adferunt pro sua causa? Efferunt & illi magnificè, visiones sanè stupèdas, ac propheticum nescio quale lumē, aut prædictiones sanctorum suorum, Benedicti putà, Francisci & Dominici; adde Ignatij Loiolæ. Sed num isthæc oracula sunt diuinis Prophetarum comparanda? Apage blasphemiam. Ethnicorum oraculis similia, vel lymphaticorum entusiasmos iure dicas; imò somnia monachorum ecstatorum, otiosorum, fanaticorum, quorum mentibus insinuare semet ac imponere Satanæ callidissimè norat. At teste Daniele cap. 9. v. 24. dudum obsignata est prophetia; nec post Apostolorum tempora

pora reuelationes aliæ nouæ sunt expectandæ, vsq; ad reuelationem gloriæ in filijs Dei: de qua Rom. 8. v. 18. 19.

49 Sextum testimonium petitum est à consensu partium doctrinæ Christianæ, quæ singulæ^{et} omnes inter se valde concordant, adeò vt eiusmodi tymphoniam alia religio nulla monstrare possit: cum verum sibi semper cõsonet: falsum autem & à vero, & à seipso dissonet.

50 Quod de simili Papanorum dogmatum concordantia garrunt aliqui, quàm vero consentaneum sit, vel hinc æstimatur. Fatentur illi, Deum vnum esse colendum & adorandum: attamen inuocant & colunt angelos, & homines defunctos. Fatentur, Deum esse iustum peccatorum vindicem: attamen operibus sæpissimè non bonis, sibi iustitiam promereri, Deum obligare, pœnas commeritas efugere, conantur. Aiunt, se Deum misericordem, bonum, & fontem ac datorem omnis boni agnoscere: tamen homini vires arbitrij liberi tam eximias attribuunt, vt ipsemet gratiam Dei, fidem & vitam acquirere possit. Fatentur Christum esse mediatorem: interim sanctis idem officium assignant. Fatentur sanguine & merito Christi nos iustificari: nihilominus alios plures & diuersos modos iustificandi fingunt. Fatentur Christum esse verum hominem, eiusque corpus verè humanum, quantum, locale, circumscriptum, iam in cœlis agere: interim idem corpus simul in omnibus (vt loquuntur) hostijs sacramenti, locis infinitis, sed sine loco, quantitate, dimensione, præsentissimum ac inuisibile & incorporeum statuunt. Id genus plurima sunt, in quibus similiter vna manu porrigunt, quod altera protinus eripiunt. In procliui quoq; foret, ipsorum famosissimorum doctorum dissensiones de rebus grauibus & articulis fidei demonstrare, si dogmatum proluxa discussio nobis hic esset proposita.

51 Septimum à confessione hostium, qui non raro doctrinæ sacre veritatem suo calculo comprobarunt, ac ex ea mutuati sunt, si quid boni & veri habent.

52 Hac quoq; nota Pontificij Thrasones se venditant, sed ridiculè. Cedo confessionem aduersariorum Papatus! Aliquos allegant, qui grauiter in corruptos vulgi mores pro concionibus inuecti sint. Quasi verò si qui Rhetorum more

κατὰ σύγκρισιν, fortè simplicitatem antiquam & zelum errantem maiorum, impietati vel profanitati securorum & dissolutorum hominum anteposuerunt, ij superstitiones Papæ continuò probarint & commendarint.

53 Octauum ab odio Satanæ, mundi in maligno positi, & pessimorum quorumque, quibus ea maximè displicent, quæ Deo sunt pretiosa & perplacent. Quantus autè sit impię multitudinis à Satana captæ & actæ ad ipsius voluntatem impetus, furor, rabies in fidem siue doctrinam nostram, in homines innocentes, imò benè meritos, in Christi fideles, palam est. Tantò igitur ista religio melior, quantò malis insanorum cupiditatib. minus arridet aut seruit. Ita Christus suos consolatur, Ioh. 15. 19. Si ex mundo fuissetis, mundus quod suum est, amaret.

54 Contra Papatus quàm exosus sit mundo, tot dira & immania bella, tot stratagemata & consilia pro eo fulciendo suscepta testantur abunde: sed & ipsi Iesuite fatentur, qui felicitatem temporalem, gloriam & splendorem mundi, multitudinem sequacium, & amplitudinē visibilis suę monarchiæ notas infallibiles ecclesiæ Catholicæ constituunt. Ipsi deniq; Papæ nonne mundi dominos se nuncuparunt? licet istud epitheton D. Paulus attribuat diabolis. Ephes. 6. v. 12. nonne monarchas orbis & potentissimos quosq; principes amicitiam sedis Romanæ supplices, præmissis osculo pedum, ambire, & magno redimere cogunt? secus facientes anathematis fulmine percutiunt, diris infernalibus deuouent, & de throno deiciunt? alios sibi morigeros surrogant?

55 Nonum argumentum ducitur à conseruatione & defensione veræ religionis, Ecclesiæ, ac scripturæ sacræ, contra multiplicem vim, fraudes & technas hostium, numero & robore longissimè antecellentium pusillo Christi gregi p'crunque inermi, qui tamen inter varias imperiorum mundi ruinas & mutationes semper constitit, nec vnquam expugnari vel deleri potuit à quibuscunque coniuratis. Hoc verè diuino beneficio, vel potius miraculo, nostræ Ecclesiæ gloriari, seque solari hac ætate meritò possunt, imò debent.

56 Quis verò de eo Romanenses gloriari æquo animo ferat?

ferat? cum non diuino sed humano præsidio freti tantopere lasciuant, & ferociant? Cum id semper egerint, vt dogmata sua gladio non Verbi, sed ferri, nec oris, sed ore gladij ruerentur, & seculari brachio contradicentes retunderent: cum ijs religio sit ab vlllo dolo malo nefariorum scelere desistere, sibi que temperare, potius quàm aduersi quid patientur: cum denique suam synagogam otio luxúque diffluentem, antehac securam & tutam fuisse gloriantur, & isto demum seculo dignitatem & quietem suam à nouatoribus hostiliter interturbari quæritentur.

57 Decimum à pœnis hostium Ecclesiæ vereque religionis: vt exitio Iudaicæ gentis, tyrannorum & persecutorum: putà Neronis Domitiani, Decij, Diocletiani, Iuliani, & similibus etiam ætate nostra: in quibus iræ suæ documenta Deus statuit.

58 Hoc vt eleuent Papæ gnathones, declamitant de calamitatibus eorum, qui à Romana sede defecerint: quàm verè, prudentes perspiciunt. Quasi verò non intimè dolent de prosperis successibus hæreticorum, quos vocant: aut immunes illi sint à cladibus & pœnis per humanum genus publicè grassantibus ob idololatriam & alia peccata, quibus iram Dei prouocant. De morte doctorum aliquot nostratum infelici ac tragica fabulas putidissimas & vanissimorum hominum nugas millies refutatas haud reponerent, nisi fronte carerent. Cogitent, ædibus in proprijs qui miserè perierint. Nominare nil attinet. Inhumanum est & illiberale, homini casum humanum aut infortunium exprobrare. Cuius accidere potest, quod cuiquam potest. Sed impij serò nimis suam stultitiam deploraturi leguntur, quum videbunt inter filios Dei stare eos, quorum illi vitam æstimabant furorem, & finem ignominosum, Sapientiæ cap: 5. v. 4. 5.

59 Vndecimum testimonium veritatis fidei nostræ est constantia confessorum & martyrum in exquisitissimis supplicijs, ac cruciatibus sæuissimis, quos illi, nisi diuina paraleti virtute fulti sustinere non potuissent. Ipsorum autem sanguis fuit semen Ecclesiæ, tantò lætius succrescentis, tantò lætius diffusæ: sicut oculis nostris quotidie cernimus in finitimis prouincijs,

60 Qui verò Pontificijs hoc seculo martyres facti? nimirum ij tere, qui vel in bellis ciuilibus, quorum tubę fuere, sunt interemti: (vt est dubia Martis alea) vel ob læsæ maiestatis aut perduellionis crimen, ob necem regibus intentatam, & nefarias manus principibus illatas, ob coniurationes in Rempublicam, ac magistratus à Deo ordinatos, accusati legitimo iudicio, auditi, conuicti, condemnati, iusto deniq; supplicio affecti sunt. Hos illi martyrum, atq; diuorum catalogo propter tam præclara καλοῦσθ' ἰμεῖται, & Ecclesiæ suæ bene nauatam operam ascripserunt.

61 Duodecimum est à sanctitate & virtutibus eorum, qui verè Christianam religionem colunt, qui non videri sed esse volunt boni, iusti, Deo conformes; qui cuncta vitæ instituta referunt ad Dei gloriam & salutem proximi: & licet perfectionem nondum assequuti, tamen ad eum scopum feruntur & collimant, exemplo Pauli Philipp. 3, v. 17.

62 Quales sanctos in theatrum Pontificij producant, apertum est. De plurimis illud Augustini forte valeat: Multorum, vt sanctorum, corpora honorantur in terra, quorum animæ torquentur in gehenna. Certè de Roma, si DIS placet, sancta, sic cecinit ante seculum, moribus opinor integrioribus quàm nunc, Italus poëta, & quidem monachus, sedi Romanæ d'quotus:

Viuerè qui sanctè cupitis discedite Roma,

Omnia cum liceant, non licet esse pio.

Et: I pudor in villas, nam Roma est tota lupanar.

Quanta igitur sanctitate Patres Romanenses radiant, qui sanctitatem sedis Papanæ admodum exosculantur, iudicent quibus ea visa perspecta & explorata est.

63 Tredecimum signum numeramus candorem plurimum & diuersissimorum amanuensium Spiritus sancti, Prophetarum inquam & Apostolorum, qui doctrinam sacram in scripta retulerunt, neque vitia sua, suorumque dissimularunt. Adeò nihil gratiæ, nil odio, nil affectibus dedisse comperiuntur: vt ipsorum fides in dubium minimè venire possit.

64 Quàm ingenuè & candidè pseudocatholici suos nævos, errores aut vitia fateantur, sicuti iactitant: exemplo sit illud axioma, quo stat res Romana: Ecclesia, quin & Papanua-

pa, nunquam errat, erravit, errare potuit. Ac licet innumeri iique crassissimi errores Papatus detecti sint (de quibus illud Irenæi verè liceat vsurpare, eorum reuelationem esse sufficientem refutationem) Acheronta tamen illi mouere malunt, quàm erratum vllum confiteri, nedum emendare.

65 Ultimum argumentum pro veritate fidei nostræ ducitur à testimonio Spiritus S. qui credentium corda certa reddit, ac confirmat, Scripturas Sacras esse *θεοπνεύματος*, à se inspiratas, secundum quas Deus verè colatur ad salutem: ac earum auditione, lectione, meditatione fidem excitat, quantum ipsi verbo Dei plenissimè assentiantur, tum eius promissiones sibi certissimè applicent: quam fiduciam sequitur lætitia acquiescens in Deo, tanquam propitio patre, cuius gratiam & pacem intus sentiunt, ac consolationem viuificam re ipsa percipiunt. Rom. 8. v. 13. Accepistis spiritum adoptionis, qui dat testimoniū spiritui nostro, quòd simus filij Dei. 2 Cor. 1. 22. dedit arrhabonem Spiritus in cordibus nostris. 1. Thess. 1. 5. Euangelium nostrum fuit erga vos non locutione duntaxat, sed etiam virtute, cum in Spiritu Sancto, tum in certa persuasione multa. 1. Ioh. 5. 10. qui credit in Filium Dei, habet testimonium in seipso.

66 Qui talē Spiritus S. testificationem cauillari, & opinionem dubiam ac fanaticam persuasionem appellare audeat, is se Spiritu S. fide, pietate vacuum, ac Christiani nomine, eoque & longiori refutatione indignum ostendit.

67 Nos verò cum superioribus argumentis, tum in primis hoc postremo certitudinem doctrinæ Ecclesiarum nostrarum, monumentis sacrarum literarum comprehensæ, solidè demonstramus, & euincimus: atque fidem & assensionem in nobis contra ignita tela diaboli, contra dubitationes Academicorum, contra furores impiorum meritò rectèque confirmamus.

68 Cum igitur satis liqueat, religionem veram, sinceram, certam & tutam non aliunde nisi ex verbo Dei, vel sacris scripturis hauriendam & petendam esse: de his scripturis *ἀξιωματικόν* paucis exponamus, oportet.

B iij.

DE SACRA SCRIPTURA.

I.

Sacrae scripturae nomine intelligimus libros Canonicos Veteris & Noui Testamenti, siue scripta Prophetarum & Apostolorum, in quibus Deus se, & voluntatem suam, quis sit, & qualis, imprimis erga nos, & quid à nobis requirat, quomodo coli, & nos beare velit, gratiosè reuelauit.

2 Canonici verò libri dicuntur, quos constat esse *θεοπνευστας*, id est, Spiritus diuini afflatu à Prophetis in Veteri Testamento, & ab Euangelistis & Apostolis in Novo Testamento, tanquam amanuensibus, siue notariis scriptos, ideoque authenticos, & in Ecclesia receptos pro canone seu normâ doctrinarum ac controuersiarum de religione; ex quibus solis, tanquam *ἀξιόπιστοις*, & *ἀπρόσπικτοις*, dogmata fidei constituenda & probanda sunt.

3 Et veteris quidem Testamenti Canonicos libros tribus nominibus, nempe legis Mosis, Prophetarum, & Psalmorum ipse Christus designauit. Luc. 24. 44. Oportere impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Mosis, & Prophetis & Psalmis de me. Quam distinctione Veteris Testamenti merito sequimur; vsitatâ etiam olim antiquissimis Hebræis, & post ab Hieronymo in prologo Galeato repetitam: vt primū locum teneat Mosis Pentateuchus: alterum, Prophetarum libri, quorum alij anteriores dicuntur, vt Iosuae, Iudicum cum Ruth: Samuelis & Regum: alij posteriores, ii que vel maiores, vt Iesaias, Ieremias, Ezechiel: vel minores, vt reliqui duodecim. Tertium, Psalmi, quo nomine Christus Synecdochicè comprehendit ea, quæ dicuntur hagiographa: vt Iob, Dauidis Psalterium, Prouerbia, Ecclesiastes, Canticum Canticorum: Daniel, Paralipomena, Esdras, Nehemias, Esther: quibus & Ruth & lamentationes Ieremiæ quidā annumerant. Alij tamen Vetus Testamētum in libros legales, poeticos, & Propheticos distribuūt. De noui fœderis authenticis libris hodiè nulla amplius est controuersia.

4 Ab istis autem merito segregamus vnâ cum Orthodoxa vetustate reliquos volumini Bibliorum Veteris Instrumenti adiunctos libros; vt Iudith, Tobiaë, Baruch, Esdræ
tertium

tertium & quartum, Macchabæorum duos, additamenta Danielis & Esther, Sapientiam Salomonis & Siracidem; tanquam Apocryphos, & minoris authoritatis, qui ad fidei dogmata confirmanda non valent.

5 Ergo minimè probanda vel ferenda est illa Pontificia miscella ac confusio librorum apocryphorum cum Canonicis, sancita concilij Tridentini decreto, Sessione 4. vbi Bibliorum editionis vulgatæ libris vniuersis parem & Canonicam authoritatem assignant, & anathema dicunt contradicentibus.

6 At iniqui isti Censores hoc fulmine non tam nos feriunt, quàm antiquissimos tum Hebræos, tum Christianos Doctores, & eos ipsos Patres, ad quos alioqui prouocare solent. Nam illi Christianorum bibliothecarij (sic Hebræos appellauit Augustinus) Apocryphos libros, vtpote non Hebræâ sed Græcâ linguâ scriptos, ceu fragmenta humana, nūquam in sacrarium Ecclesiæ vel Canona admiserunt: teste Iosepho lib. 1. contra Appionem / citante Eusebio lib. 3. Hist. Eccl. cap. 10. Ab Artaxerxis tempore (ait Ioseph) scripta ad nostram ætatem, parem cum prophetis fidem non habent: quia ab eo tempore non continua & explorata fuit Prophetarum successio. Hi verò, Christianos Patres dico, contra Pontificios nobiscum sentiunt: Concilium Laodicenum sub annum Christi 360. celebratum, cap. 59. prohibet in Ecclesiis legere libros non Canonicos: Canonicos autem recitat eosdē, quos nos: omittit planè cæteris, quos apocryphos dicimus. Constat etiam ex Euseb. lib. 4. Hist. Eccles. 26. & l. 6. c. 18. pro nobis stare veterem illum Melitonem Sargentem, Origenem, & alios. Item Cyprian. siue Rufin. in expos. symb. Athanas. in Synopsi. Hilar. in præfat. Psalm. Nazianzen. in carminibus. Epiphani. hæres. 8 & 76. Cyrill. Ierosol. Catech. 4. Hieron. in prol. galeato. ad Chromat. Heliod. Paulin. præf. in Paralip. ait: Apocrypha scripta nescit Ecclesia: ad Hebræos est reuertendum. Quæ non habentur apud illos, procul abiicienda sunt in Esdr. & Præf. in Prov. Sal. Inter Canonicas scripturas non recipit Ecclesia Iudith, Tobiam, Macchabæos, Sapientiam Salomonis, Sirach: Legat ea ad ædificationem plebis, non ad authoritatem Ecclesiasticorum dogmatum confirmandam.

Augustin. lib. 15 de Ciuit. Dei. c. 23. In Apocryphis, inquit, etsi inuenitur aliqua veritas, tamen propter multa falsa nulla est canonica autoritas. Vide & Gregor. M. in Iob. lib. 19. c. 17. Damasc. l. 4. c. 18. Isid. de off. Raban. Maur. de insti. Cleri. cap. 54. Lyran. prolog. in Apocr. Cajetanus in fine comment. libr. historicorum Vet. Testamenti sic statuit: Ad Hieronymi limam reducenda sunt tam verba conciliorum quam doctorum: qui sentit libros isto, Iudith, Tobiae, Sapientiae, Ecclesiastici, & similes, non esse Canonicos, id est, regulares ad firmanda ea, quae sunt fidei.

7 Sacram itaque scripturam *ἐν διαθήκαις*, testamentarijs siue canonicis illis libris contentam, asserimus esse basin veræ religionis, principium Theologiae, normam veritatis, mensuram fidei, regulam credendorum & faciendorum, magistrã recte sapiendi & bene viuendi: ac eã pollere autoritate, perfectione & perspicuitate, vt nec humanis suffragijs, nec ἀνθρώπων traditionum assumentis, nec aliunde illato lumine ad necessariã doctrinã intelligentiam egeat.

8 Faceffant igitur, quicunque sacram scripturam ornamentis his spoliant: qui eam ab Ecclesiã suam autoritatem mutuari: qui mancã, imperfectã, insufficientem: qui dubiam, ambiguã, obscurã: qui regulã Lesbiam, plumbeã, cerẽum nasum, materiã litis esse, blasphemio ore vociferantur. Bellar. libro 3. de verbo Dei capite 1. libro 4. cap. 3. & 4. Pighius: Melchior Canus loc. Theol. lib. 2. c. 7.

9 Primùm enim, quid aliud dicunt ij, qui scripturas ab Ecclesiã autoritatem habere clamant, nisi hominum testimonium maius & fide dignius esse, quàm ipsius Dei? At Christus ait: Ego non accipio testimonium ab homine, Ioh. 5. v. 34. & Paulus: Oratio mea & prædicatio non erat in persuasorijs humanæ sapientiæ verbis, sed in demonstratione spiritualis potentiæ, ne fides vestra consistat in sapientia hominum, sed in potentia Dei. 1. Cor. 2. v. 4. 5. Et si Angelus de cœlo aliud Euangelium annunciet, anathema sit. Gal. 1. v. 8. Et Ephes. 2. v. 20. Ecclesia est ædificata super fundamentum Prophetarum & Apostolorum. Ergò vim & autoritatem accipit à scriptura, non dat scripturæ. Denique, scriptura est epistola Dei missa ad genus humanum, ut veteres eam vocarunt:

carunt: Cuius dignitas pendet ab illo principio, Dominus dixit: non homo, qui mendax & instabilis esse solet; non hominum Synagoga, quæ labi & falli potest.

10 Deinde, qua fronte negant scripturam esse perfectam, & necessaria ad salutem plenè continere? Cum Deus apertè vetet ei quicquam vel adicere, vel demere, Deut. 4. v. 2. Prouerb. 30. v. 6. Apocal. 22. v. 18. 19. Cum Christus dicat, se omnia nobis nota fecisse. Ioh. 15. v. 15. & hæc scripta sunt, vt credamus & credentes vitam habeamus Iohan. 20. v. 31. Cum etiam Apostolus affirmet, se nil eorum quæ conducerent, subterfugisse, sed annunciasse omne consiliū Dei. Act. 20. v. 27. & scripturas posse instruere ad salutem, vt perfectus sit homo Dei. 2. Tim. 3. v. 15. 16. 17.

11 Præterea, qua conscientia possunt tantæ obscuritatis, ambiguitatis, & flexiloquentiæ scripturam totam accusare, quam prophetæ & Apostoli lumen splendidum vocant, & lucernam pedum nostrorum, lucentem in caligine, illuminantem oculos. Psal. 119. v. 9. & 119. v. 105. & 2. Pet. 1. v. 19.

12 Denique & illud Antichristianum est, quod iidem sanctam scripturam vetant in linguas vernaculas transferri, translataeque, à laicis, quos vocant, haberi, aut legi, tanquam perniciosas.

13 Cum enim Dominus præcipiat; scrutemini scripturas, Ioh. 5. v. 39. Sermo Christi habitet in vobis copiosè: Col. 3. v. 16. Ne recedat volumē legis ab ore tuo, sed mediteris die ac nocte. Ios. 1. v. 8. Cauete à pseudoprophetis. Matth. 7. v. 15. Probate spiritus num ex Deo sint. 1. Ioh. 4. v. 1. Quid ni potius exstimulentur singuli, vt exēplo τῶν ὀυρενισέων Thesalonicae, de quibus Act. 17. v. 11. scrutentur scripturas, & explorent, an doctorum, in primis eorum, qui alienæ fidei dominantur, dicta, scripta, vel catechismi vulgo obtrusi, sacro Dei verbo consentiant, an dissentiant? Verè nāque licet nobis illud Chrysoft. Homil. 9 in c. 3. Coloss. hodie dicere: Hæc omnium malorum causa est, quod scripturæ ignorantur.

14 Iam verò sacris scripturis consentaneam esse doctrinam religionis nostræ, perspicuè breuiterque expositam in catechesi Ecclesiarum Electoralis Palatinatus, à plurimis reformatis Ecclesijs alijs, in & extra Germaniam approbatā & receptā, quam verè dicere possumus hypotyposin sanorum

B v. sermonum

sermonum, & epitomen sacrarum literarum per omnes articulos sigillatim ostendere possemus: sed κεφαλαίων summa fastigia persequemur, ea potissimum attingentes, quæ nonnulli hodie carpunt, & traducunt: sed immeritò.

15 Vt S. scriptura duabus partib. constat, Lege & Evangelio: quarum illa de charitate in Deum & proximum, hæc de fide in Christū agit: sic religio Christiana reuocari potest ad duo capita: ad resipiscentiam & fidem: quibus summam concionum Christi contineri, patet ex Marc 1. 15. vbi Dn. Iesus ministerium sic exorsus dicitur: Resipiscite & credite Evangelio: *Et Luc. 24. v. 47.* ait: oportet prædicari in nomine Christi resipiscentiam ac remissionem peccatorū apud omnes gentes, *Et Act. 26. v. 18.* dicit Paulo: Mitto te vt aperias oculos eorum, vt se conuertant à tenebris ad lucem, & à potestate satanæ ad Deum, vt remissionem peccatorum & sortem inter sanctificatos accipiant per fidem, quæ est in me.

16 Verū quia legis officium etiam apud renatos potissimum duplex est: ostendere peccatum, & dirigere gressus vitæ nostræ: Resipiscentia itidem tum auersionem à tenebris, à peccato, à potestate satanæ, tum conuersionem ad lucem, iustitiam, & Deum complectitur: concinnâ & saluberriam methodo catechesis nostra, postquam consolationem hominis Christiani proposuit, tria ista inculcat: primū agnitionem miseræ, in qua omnes hæremus: deinde liberationem ex ea per Christum: deniq; fidei obedientiam, & fructus, vel debitam gratitudinem.

17 Ac primò quidem consolationem solidam piis mētibus meritò suggerit, & monstrat: quia hic religionis & scripturæ sacræ scopus & finis est: vt docet Apostolus Rom. 15. v. 4. Ipsa quoque Theologia, veriùs, quàm humana philosophia, dicitur & est animi medicina, morborum ac tentationum spiritualium antidoton, & leuamen dolorum ac calamitatum, quibus in hac vita variè affligimur.

18 Consolatio viua & vera Christianorum est agnitio, fiducia, & sensus, siue apprehensio gratiæ & reconciliationis Dei Patris, per & propter Filium eius Redemptorē nostrū. Hoc est illud bonum, cuius intuitus & consideratio mitigata animi faucij perturbationes, recreat afflictas cōscientias, lenit

lenit tristitiam, adeoque tollit: lætitiæque stabili, perfectio-
que gaudio perfundit. Quantum enim istud, & quam dulce
solatium, scire, se Dei esse? se filium adoptatum & hæredem?
se à cœlesti Patre protegi, & gubernari? se denique illi simi-
lem, & diuinæ naturæ consortem, plenam salutem, vitam,
& gloriam æternam possessurum?

19 Consolationis huius basis, vel fundamentum est sa-
tisfactio Christi, qua nos homines miseros, natura filios i-
ræ Deo reconciliauit. Partes autem sunt hæ: primùm, libe-
ratio nostri à malis & miseriis peccati & mortis: ac restitu-
tio iustitiæ ac vitæ Altera, conseruatio & defensio nostri in
plurimis ærumnis huius vitæ; & ipsarum calamitatum ad
salutem nostram directio & conversio. Denique certitudo
salutis & vitæ æternæ, testimonio Spiritus sancti interno,
vt qui est arrhabo hæreditatis nostræ, tum externis effectis
veræ fidei & resipiscentiæ confirmata.

20 Ad hunc finem obtinendum illa tria media requi-
ri, & primò notitiam mali humano generi incumbentis, tū
boni nos à malo liberantis, denique officij nostri; vel quod
idem est, Humilitatem coram Deo, Fidem in Christum, ac
caritatem Dei & Proximi, summopere necessariam esse, ne-
mo negabit, nisi qui vim, & naturam consolationis ignorat.

21. Itaq; qui Methodum hæc Catechismi nostri cauillan-
tur, suam potius ἀπεδοδ' ἰαν καὶ ἡγαγον' θεσαν produnt: cum eā-
dem methodo D. N. IESVS CHRISTVS, prophetæ,
Ioan. Baptista, Apostoli, Paulus imprimis, tum alibi passim
tum in Epist. ad Romanos frequenter vtantur, initiò pecca-
ti odium seu pœnitentiam, & humilitatem; inde fidem in
Christum; denique fructus fidei, & bona opera seriò fla-
gitantes.

22. Talem ordinem postulat etiam necessitas, ac condi-
tio nostra. Sicut enim pathologicè præcedit therapeuticen
in Medicinâ: & de morbo primùm, post de remedio, deniq;
diæta salubri disquisitio instituitur: sic in animi medicinâ,
Theologiâ, ducendi primùm ægri homines sunt in notiti-
am peccati, & humiliandi (nam ad humiles & contritos spie-
ritu, & ad verbum suum trepidantes respicit Deus Ies. 66. 2)
post ad Medicum Christum adducendi, vt sanentur: deniq;
ad vitam Euangelio dignam incitandi: secundum illud
Christi

Christi, Ioan. 5. 14. Ecce (tu æger) sanus factus es; ne pecca amplius, vt ne quid deterius tibi contingat. Sat de Methodo, iam de singulis capitibus.

PARS PRIMA.

DE VERA HUMILITATE, PECCATO, ET
LIBERO ARBITRIO.

I

AD veram humilitatem coram Deo, quæ Chryostomo fundamentum nostræ Philosophiæ, & Augustino primas, secundas, tertias, in religione Christiana tenere dicitur, nos impellit infelix nostra conditio, & innatæ nobis indignitatis & miseræ sensus. Chryostom homil. de perfect. Euang. August. epist. 56.

2 Miseria nostra tum in peccato, tum in pœna peccati spectatur. Incidit enim homo in duplex malum, culpæ & pœnæ: quorū prius est grauius, & causa posterioris. Vtrumque nisi consideremus, Christi gratiam dignè nunquā æstimabimus, neq; consequemur.

3 Peccatum rectissimè definimus cum Apostolo, 1. Ioh. 3. v. 4. est ἀνομία, hoc est. illegalitas; iniquitas: discrepantia à lege: priuatio iustitiæ: siue quicquid aduersatur legi Dei. Plenius autem sic describimus: Peccatū est defectus, vel inclinatio, vel actio, pugnans cum lege Dei, & commerens æternas pœnas.

4 Defectus nomine intelligitur absentia boni, siue rectitudinis ac cōformitatis qualitatū & actionum cum lege & voluntate diuina: Inclinatio denotat præsentiam mali, vitiosamque concupiscentiam; vnde male ἐνέπραται & operationes promanant.

5 Peccatum varijs modis distinguitur. Aliud enim est cordis, aliud oris, aliud operis. Sic Augustinus in ea descriptione, quæ citatur à Lombardo, Sent. l. 2, dist. 35, Peccatum est vel dictum, vel factum, vel cogitatum, aut concupitum, contra legem Dei.

6 Aliud etiam est contra conscientiam, quod sciens volens

lens cōmittit: & est malitiæ: aliud non tale, sed ignorantia, vel infirmitatis: quando quis non ex proæresi, vel deliberata voluntate, sed ex impetu & affectu præcipiti delinquit.

7 Aliud est regnans peccatum, cui homo seruit, non resistit, de quo Christus Ioh. 8/34. Qui facit peccatum, seruus est peccati. Et Apostolus Rom. 6. v. 12. sic ab eo dehortatur: Ne regnet peccatum in mortali vestro corpore, vt obediatis peccato in cupiditatibus eius. Aliud non regnans: quale est in solis renatis, qui gratiâ Spiritus sancti donati, naturæ prauitati non indulgent, sed repugnant. Hinc intelligitur dictum 1. Ioh. 3. v. 6. quisquis in Deo manet, non peccat: quisquis peccat, non vidit eum, neq; nouit eum: & ver. 8. 9. qui committit peccatum, ex diabolo est. Quisquis natus est ex Deo, peccatum non committit, quoniam semen ipsius in eo manet: nec potest peccare, eò quod ex Deo natus est.

8 Peruulgata quoq; est distinctio peccati in mortale & veniale. Mortale dicunt, quod naturâ suâ mortem æternam meretur. Veniale, quod leuius sit, quàm vt condemnet, veniâque dignum. Sed ea sic admitti nequit. Quia in æstimaendis peccatis non Lesbia hominum, sed diuina regula adhibenda est. At omnis transgressio legis est offensio summi boni, Dei infiniti & sanctissimi, eoque promeretur iram eius & maledictionem, ex legis interminatione. Deinde Christus expressè contrarium affirmat Matth. 5. v. 19. Quisquis igitur soluerit vnum ex mandatis his minimis, & ita docuerit (scilicet non esse tanti momenti) minimus vocabitur in regno cœlorum. Et Apost. Rom. 6. Stipendium peccati mors. Iacob. 2. 10. quicumque offendit in vno, factus est omnium reus. Denique scriptura speciem aliam vocat peccatum ad mortem 1. Iohan. 5. 16. Itaq; sic potius diuidamus:

9 Aliud peccatum est mortale & irremissibile simpliciter. Aliud veniale seu remissibile. Hoc quidem est id, de quo pœnitentia agitur: quod non imputatur, neq; condemnat: idq; ex gratia Dei condonantis, illud verò dicitur blasphemiam in Spiritum S. quæ est ἐνοχέια omnium horribilissima, qua reprobi veritatem Dei cognitam, ex odio & destinatâ malitiâ, penitus abnegant, reijciunt, oppugnant, & furiosè persequuntur: ideòq; iusto Dei iudicio in impœnitentiam
finalem

finalem ruunt, & æternum percunt. Dicitur autem peccatum in Spiritu S. quia Spiritus S. immediatè docentis veritatem, & animos illuminatis gratiam sceleratè conculcat; & à Spiritu immundo Satana, patre mendacij peculiariter afflatur & inspiratur.

10 Aliud item peccatum per se tale est: aliud per accidens fit peccatum. Per se est, quicquid prohibet Deus. Per accidens peccatum est opus à Deo quidem præceptum, sed quod deprauatur ab agente: ut si fiat à non renato, personaque non reconciliata Deo, vel non ex fide aut dilectione Dei, ad eius gloriam: vel etiam intempestivus & scandalosus usus rerum adiaphorarum siue indifferentium.

11. Sed his & alijs id genus differentijs omissis, saltem illam communem, at necessariam observemus: Aliud peccatum esse originale, aliud Actuale.

12 Actuale dicitur omnis actio repugnans legi Dei; siue committantur omittenda, siue omittantur facienda: seu ex malitia, seu ex infirmitate.

13 Originale peccatum est hæreditarius reatus primi lapsus, & corruptio totius humani generis, ac causa omnium actualium peccatorum. Vel: Est privatio iustitiæ originalis, nimirum agnitionis Dei in mente, conformitatis ac inclinationum in corde ad obediendum Deo: & culpa seu depravatio totius hominis, & auersio à Dei lege: & reatus inobedientiæ Adæ in omnes posteros derivatus.

14 Reiiciendi sunt illorum errores, qui vel negant originis peccatum, ut Pelagiani: vel id tantummodo reatum, non culpam: vel non totius hominis, nec intellectus seu mentis, sed inferiorum duntaxat facultatum depravationem: nec concupiscentiam in renatis reliquam suam naturam & per se peccatum esse contendunt; cum Scriptura contrarium doceat, præcipuè Paulus ad Rom. cap. 5. 6. 7. Eph. 2. 4. Col. 2.

15 Huius mali siue contagij nativi magnitudo fit manifesta ex comparatione primi status hominis integri, cum altero statu hominis lapsi.

16 Formatus enim est homo primitus à Deo ad imaginem eius, hoc est, sapiens, justus, sanctus, beatus: sed mox suam culpam & apostasiam à Deo, turpissimè Deformatus est, insipiens, injustus, impius, infelix, ac reus æternarum poenarum

narum factus, & talis permanet, usque dum per Spiritum Dei Reformetur.

17 Imago Dei fuit conformitas cum Deo, qua Deum homo, tanquam archetypum exemplar aliquatenus referebat: nimirum animæ spiritualis & immortalis naturâ: deinde qualitatibus, vt sapientiâ, siue cognitione, iustitiâ, sanctitate: denique felicitate & regno, siue dominio in reliquas creaturas.

18. Hinc liquet, Deum peccati causam nec fuisse, nec dici posse vel debere: Tum quia solus est bonus, & summum bonum, adeoq; ipsa bonitas: nec à bonitate vel rectitudine sua deficere potest: tum quia omnia, quæ fecit, erant valde bona: in primis homo ad Dei imaginem conditus: cui beneficiendi, non maleficiendi causa & author adhuc existit.

19. Sed homo spontaneâ suâ malitiâ, liberâque voluntate se à Deo auertens, & diabolo ad peccandum instiganti auscultans, tanta bona perdidit, eoque & peccati & exitij sibi met ipse autor existit, Gen. 3 v. 17. Eccl. 7. 20. Hoc inueni, Deum hominem fecisse rectum, sed ipsi inquisuerunt cogitationes multas: *Et Rom. 5. v. 12. Per hominem introijt peccatum in mundum, & per peccatum mors, quæ in omnes homines transit, in quo omnes peccarunt.*

20 Blasphemam igitur opinionem de Deo peccati auctore quotquot vel Cathedesi nostræ, vel Ecclesijs Orthodoxis affingunt; manifestæ calumniæ conuincuntur.

21. Nos enim substantiam ab accidente, actionem à peccato concurrente, opus Dei ab opere Diaboli, sobriè & accuratè distinguimus, vt oportet, utque S. literas & Orthodoxam antiquitatem, in primis Augustinum fecisse videmus, quî cum ita sentimus & dicimus: Quod homo est, ex Deo est: quod peccator, non est ex Deo. A natura vitium secernatur. Agnoscatur natura, vnde creator laudetur: Agnoscatur vitium, propter quod Medicus inuocetur. Tractat. 42. in Iohannem.

22 Neque Deus, cum peccatis peccata punit, peccatorum fit autor, sed ultor: tanquam iustus iudex, tradens reprobos in reprobam mentem, eosq; volentes in cupiditates cordis sui peruersi. Eadem verò peccata fiunt & peccatorum supplicia præteritorum, & suppliciorum merita futurorum: & sunt

& sunt pariter peccata, peccati poenæ, peccati causæ: sicut inquit idem Augustinus, exemplum afferens hoc: Cæcitas cordis & peccatum est, quo in Deum non creditur, & poena peccati, qua cor superbum digna animaduersione punitur, & causa peccati, cum mali aliquid cæci cordis errore committitur. Ita concupiscentia carnis, &c. Tomo. 7. contra Iulian. Pelegianum: lib. 5. cap. 3. 4. & l. de natura & gratia, cap. 22.

23 Sed consequentia peccati istius, quod Apostolus ait in mundum intrasse per Adamum, videamus. Certè hinc factum, vt dona hominis naturalia corrupta, supernaturalia amissa sint. Hinc tanta mentis humanæ cæcitas, & cordis prauitas extitit, vt in rebus ad Dei cultum & salutem anime suæ spectantibus, homo non renatus, nec veritatem assequi, nec opera bona præstare, vel ad ea se præparare aut inclinare valeat. Gen. 8. 21. Ier. 13. 23. Rom. 8. 7. I. Cor. 2. 14.

24 Nam homo libero arbitrio malè vsus, & se perdidit & ipsum: quod tum demum verè liberum est ad bonum, si per gratiam liberetur: sine qua nec inchoare bonum nec perficere valet. Quas enim accepit vires, cum conderetur, peccando amisit, inquit Aug. in Enchirid. cap. 30. 31. 32. Serm. 2. 13. & 18. de verb. Apost. & alibi passim.

25 Nec tamen ei propterea libertas omnis adimitur. Peccat enim liberrimè, licet peccati seruus: quia ἐκβίως & voluntariè. Itaque cum Augustino dicimus: Liberum est semper hominis arbitrium, sed non semper est bonum. A gratia valet, quicquid valet: sine gratia nil nisi ad peccandum valet. Ad hoc est idonea voluntas, quæ vocatur libera, & malè agendo fit damnabilis ancilla. Non est homo bonus si nolit, sed gratia facit vt velit. Et cum Ambrosio (siue potius Prospero): Nō volūtate privatus est homo, sed voluntatis sanitate. Sanatur autem, non adempto libero arbitrio, sed liberato: non everso, sed conuerso. August. epist. 46 105. tom. 2. De Spirit. & liter. t. 3 de gratia & lib. arb. c. 11. cont. epl. Pelag. l. 1. c. 3. to. 7. Ambr. de uocat. gent. lib. 1 c. 2. 3.

26 Errant igitur, & qui tollunt liberum arbitrium, & qui tale ponunt, ut extenuent hominis corruptionem, & ægritudinem: contra quoddam *ὠτιξίστιον*, eximiasq; vires liberij arbitrii prædicēt; & qui fidē humanæ volūtati sic adscribunt,

scribant, ut sine speciali Dei gratia credere, seu fidem acquirere quis possit. Bellarmin. de amissa gratia lib. 5 cap. 4. 5. 9. 13. 14. de lib. arbitr. lib. 4 c. 6. lib. 5. c. 2. 9. lib. 6. c. 10. 11. 12. & seq. ac alij quidam.

27 Quasi verò potestate eadem sanetur homo, quã vitiatus est, & qui servare se non potuit bonus bonum, iam faciat se malus bonum, ait Augustin. lib. de nat. & grat. cap. 30. Quasi non sint inter Dei gratias, bene velle & credere; Quasi fides non sit donum Electorum proprium. Philip. 1. 29. & 2. 13. Ephes. 2. 5. Tit. 1. 1. 2. Thes. 3. 2.

28 Ideò jure Augustinus homines ingratos, inimicos gratiæ, & damnabiles vocat eos, qui voluntatem bonam, & fidem, libero arbitrio, non gratiæ Dei assignant: diserteque pronunciat l. de grat. & lib. arbitr. c. 7. fidem habere non possumus, nisi Deo miserante: & rectè monet, ne in alterutrum scopulum impingamus; Neq; sic defendamus gratiam, vt liberum arbitrium auferamus: rursus ne liberum sic asseramus arbitriũ, vt superbã impietate ingrati Dei gratiæ iudicemur, Idem ait: Liberum arbitrium ita defenditur, vt humilitate solidetur, non elatione præcipitetur. Item; Quod à Deo nos avertimus, nostrum est; & hæc est voluntas mala: quòd vero ad Deum nos conuertimus, nisi ipso excitante atque adiuvante, non possumus; & hæc est voluntas bona. Quibus hoc Dominus donare voluerit, eius misericordiæ est, non meriti illorum: quibus noluerit, veritatis est, &c. De peccatorum mentis & remiss. lib. 2. cap. 18. 19. Alibi generaliter totam hanc causam ita definit: Communis est omnibus natura, sed non gratia. Hæc quibus datur, datur gratuita gratiã; reliquis justo Dei iudicio non datur. Legant studiosi Tom. 7. lib. de natura & gratia: de correptione & gratia: de peccator. meritis: de prædestinatione sanctorum cap. 3. & 16. Tom. 4. lib. 1. ad Simplician, quæst. 2. Item Epistol. 10. 106. 107. Sermone 2. de verbis Domini & serm. 7. & 11. de verb. Apostoli. Bernhard. de gratia & libero arbit.

29 Sumus enim omnes naturã filij iræ: & propter peccata separati à Deo, & abalienati à vita Dei Eph 2. 3. & 4. 18. Ies. 59. 2. ac ex immutabili Dei justitia & veritate, pœnis

C

& morti

& morti sempiternæ obnoxij, donec per Mediatorem liberemur ac Deo reconciliemur.

P A R S I I.

DE REDEMPTIONE.

I.

IAM igitur, agnito morbo dispiciamus de Medico: cuius opem nobis summè necessariam esse, quis neget vel ambigat? nam male affecti egent medico, non sani: dicit ipse Christus Matth. 9. 12.

2. Nec enim homo sanitati, id est, iustitiæ & vitæ restitui, nec à peccato & morte liberari potest, nisi ἀκριβοδικαίῳ divino satisfiat. Exod. 34. 7. Iehova non absoluit vlllo pacto fontem & c. 23. 7. non absolvam improbum. Nec peribit vnus apex ex Tege Matth. 5. 18.

3. Talem autem satisfactionem homo peccator nunquam præstat: tum ob innatam sibi prauitatem, quâ Deum indefinenter offendit; tum ob imbecillitatem suam, quâ pœnam æternam, vel ei æquipollentem, qualem iustitia Dei flagitat, persolvere & superare nequit.

4. Alium igitur vices nostras, ceu sponsores, subire necesse est: eumque non nudam creaturam, angelum puta, aut hominem quempiã nostri solummodò generis. Impares enim hi sunt immensæ moli iræ diuinæ ferendæ. Nam Deus ignis consumens est: Coram indignatione eius quis subsistat? & quis consistat in æstu iræ eius? Nachum. cap. 1. vers. 6.

5. Verùm tali mediatore nobis opus erat, qui medius inter Deum & homines, vtrique parti coniunctus, & ὁμοῖος. id est, verus isque sanctus homo, & verus pariter Deus esset.

6. Suscipienda enim illi fuit natura, quæ captiva Satanæ, cõque liberanda erat. Hominem igitur esse oportuit: Et nihilominus verum Deum: vt λύτρον ἰσόρροπον peccatis, & satis dignum pretium redemptionis pendere, moriendo mortem destruere, Dei iram placare, nobis eum reconciliare, & vitam æternam reddere posset. Hæc verò quis præstet
nisi

¶ Sed Iesum illum cernimus gloria et honore coronatum, & penultimè fuit inferior angelis factus, et mortis passionem, ut beneficio dei & orb. mag. rem gustaret.

APHORISMI

v. 16. 17. Non angelos assumpsit: sed semen Abrahæ: of 35 sumit: unde de

nisi Deus? vide Hebr. 2. v. 9. 16. 17. Irenæ. lib. 3. cap. 20. 21. 23. 33.

7 Talem autem personam monstrat, & sistit nobis Eu-
angelium, faustissimus ille nuncius salutis nostræ: nempe Iesum Christum, *θεὸς ὑφ' ἡμῶν* & Immanuel, Dominum, ser-
vatore[m] & redemptorem nostrum vnicum: in quo vetera *in iis q̄ ap̄ vetera
yenda fuerant, ad
expiandū p̄ta po.
puly.*
oracula omnia sunt impleta, quæ de Messia siue Mediatore fuerunt edita.

8 Hic enim solus est verus & æternus Deus cum Patre & Spiritu sancto; & simul verus homo de genere nostro, Adamo & patriarchis promissus, ac in plenitudine temporis ex Maria natus: justus, impollutus & à peccatoribus segregatus, cui non offerenda fuit victima pro peccatis propriis: qui venit in mundum Medicus ægris; ut mortuos vivificaret: sic peccatores salvos faceret: qui solus Deum Patrem humano generi reconciliavit, satisfaciens divinæ iustitiæ moriendo, & de morte triumphans resurgendo, deprecans pro reis etiamnum in coelis, & applicans fidelibus sua merita, eosque sanctificans suo Spiritu. Hebr. 7. 27. Matth. 9. 13. 1. Timoth. 1. 5. Act. 10. 43. Rom. 3. 25. Eph. 2. 16. 1. Tim. 2. 5. 1. Ioh. 2. 1. Act. 4. 12.

9 Talia & tanta bona cum non nisi Iesus Christus nobis præstiterit, ac etiamnum præstet: meritissimè solum eum Mediatorem agnoscamus & celebriamus.

10 Et quidem ipsum dicimus Mediatorem secundum utramq; naturam, humanam & divinam. Nam utraq; cum communione alterius agit, & ad munus istud obeundum aliquid confert. Cur enim alioqui coniunctio duarum naturarum facta esset, nisi mediatoris officium, & quæ homo, & quæ Deus, exequeretur.

11 Abhorremus igitur ab illorum opinionibus, qui nobis alios mediatores, ut sanctos defunctos, vel angelos beatos obtrudere satagunt; & qui Christum duntaxat secundum humanam naturam mediatorem esse volunt. Bellarmin. lib. 1. de sanct. beat. cap. 20, & lib. 5. de Christo cap. 1. & 2.

C 2 DE

DE PERSONA CHRISTI.

I.

IN vna Christi Mediatoris persona duas integras & perfectas naturas, cum S. literis & Orthodoxâ antiquitate, piè credimus & constanter asserimus: Diuinam, quâ Deo Patri est ὁμοούσιος καὶ συναΐδιος, vt filius vnigenitus & proprius; & Humanam, anima rationali, & corpore verè humano constantem, quam cum proprietatibus essentialibus, adeoq; πάρεσιν ἀδολογήτοις, id est, defectibus inculpatis, in vnitatem personæ assumpsit, sibi propriam fecit, & in æternum retinet.

2. Contra detestamur omnes hæreses, seu veteres seu recentes, quæcunque vel deitate, vel humanitate verâ Christum sacrilegè spoliare nituntur.

3. Vniuit autem sibi filius Dei naturam humanam, non κατὰ παράστασιν ἢ ἀξίαν, id est, secundum assistentiam vel dignitatē, vt Nestorius finxit: nec κατὰ σύγχυσιν ἢ σύγκρασιν, id est, confusionem vel commixtionem, vt Eutyches commentus est: sed κατ' ἰσότησιν, hoc est, personaliter, vt vnus Immanuel vna persona sit, Deus σαρκοφόρος, vel incarnatus: nec in eo sit alius & alius, sed aliud & aliud, λόγος nempe & caro. August. Cont. Felician. cap. 11. Nazianzen. ad Chelidon. epist. 1. Theodoret. dial. 3. Leo. M. ad Flavian. Damasc. lib. 3. c. 3. pulerè hoc declarant.

4. Vnio personalis est arcana & arctissima coniunctio duarum naturarum, diuinæ & humanæ in vnâ personâ Christi, absque mutatione, confusione, vel permixtione naturarum, aut proprietatum, aut operationum earundem duarum naturarum.

5. Improbandum est ergo Vbiquitarium dogma de reali effusione, vel communicatione diuinorum idiomatum & omnis maiestatis Dei in humanam Christi naturam, ita vt hæc per vnionem hypostaticam sit effecta omnipotens, omnipræsens, omniscia, vivifica, idque omnipotentia, omnipræsentiâ, omniscientiâ & vitâ ipsius deitatis.

6. Quod nuperum, asystaton, sacris scripturis & orthodoxæ vetustati diametraliter aduersum commentum, plurimis

rimis inuictis argumentis refelli potest: quæ congerere, non est huius instituti. Saltem ἐν παρόδῳ iuventuti veritatis cupidæ subiiciemus hæc.

1. Idiomata Dei sunt ipsa ἰσσία vel essentia Dei. Quia Deus est ἀμέριστος, omnis compositionis expertus, ac simplicissima essentia: nec differunt, sed essentialiter & realiter idem sunt Deus, omni-rærens, omnipotens; & Deitas, omnipræsens, omnipotentia. Deus est sua deitas; & idem ipse omnipotens est sua omnipotentia. Et sicut omnipotens est Deus, sic omnipotentia est Deitas. Igitur si divina idiomata, vt omnipotentia & vbiq̄uepræsens, sunt realiter communicata naturæ humanæ: caro Christi fuerit ὁμοῦς facta Deo Patri, Filio & Spiritui S. eoque; Dea quædam, imò Deitas. Ἀἴτιον, ἄλογον ἀθεόλογον.

2. Idiomata Dei sunt indiuisa, & eorum vnumquodque reliquorum attributorum perfectiones in se continet: Fuerint igitur omnia pariter communicata, nullo excepto-
 ψεῦδος, vel de ipsorum sententia; qui plurimas Dei proprietates vt æternitatem, simplicitatem, immaterialitatem, impassibilitatem, & similes, excipiunt, ac paucas aliquot, omnipræsens inprimis, humanitati communicant.

3. Communicatio realis tollit differentiam realem. Atqui naturas, earumque proprietates in Christo reipsa distinctas, saluas, integras nec permixtas esse, fatentur aduersarij. Quomodo igitur realis illa, quam fingunt, in naturis idiomatum communicatio consistet?

4. Si Deitatis idiomata communicantur humanitati realiter, desinunt esse idiomata. Quomodo enim proprium manet, quod in aliam naturam transfertur; eiq̄; fit commune?

5. Nulla natura vel essentia potest esse omnipræsens vel omnipotens, nisi quæ sit infinita, simplicissima, impartibilis. At humana Christi natura est finita, propriis naturæ dimensionibus aut terminis circumscrip̄ta; est composita; constat anima & corpore, partibus vtique diuersis, quarum vna est in altera, anima in corpore: corpus autem

C 3 finibus

finibus suis continetur : quæ nec antagonistæ possunt inficiari.

6 Certo certius est illud axioma, ex quo Patres olim refutarunt monophysitas & monotheletas : Easdem proprietates, sicut etiam ἐνεργείας vel actiones, eandem inferre naturam : diversas, diuersam : Nec vnâ naturam contrariarum proprietatum capacem esse posse : quales in primis sunt divinæ & humanæ, infinito intervallo distantes.

At contendunt isti, naturæ humanæ realiter inesse propria divinæ naturæ, & eiusdem operationes, vt vivificandi, mundandi à peccatis, & similes. Sic igitur inducunt naturarum confusionem Eutychianam.

7. Denique labefactant & enervant isto dogmate firmissima alioquin argumenta Deitatis Christi, à Dei propriis attributis, in primis ubiuitate, vel immensitate, vel omnipræsentia, & ab operibus divinis ducta : quibus antiquissimi Doctores ὁμοσίαν Filii Dei cum Patre rectissime astruxerunt, & hæreticos Samosatenarios, Arianos, anomæos refutarunt.

At isti tollunt ac infringunt hanc illationem necessariam ab idiomatis ad ἁρσίαν, dum propria Deitatis communicant carni; & dicta Scripturæ de λόγῳ, vel divinam naturam Christi testificantia trahunt ad humanam naturam, vt creaturam divinis idiomatis induant. Omitto reliqua argumenta non minus evidentiâ.

8. Frustra verò illi ad eludenda pleraque confugiunt ad vnionem personalem, quam modò effusione omnis maiestatis Dei in humanam naturam; modò sessione ad dextrâ; modò reali communicatione idiomatum in naturis, definiunt: rursus hanc suam communicationem, modò formam & differentiam specificam, modò effectum & consequens vnionis statuunt, inconstanter, malè, falsò.

9. Nos enim eis Chalcedonensis synodi decretum, vel symbolum, S. literis consentaneum, & à Catholicis Orthodoxis omnibus approbatum, opponimus: Præfitemur vnum Christum in duabus naturis ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιαίρετως, ἀχωρίτως, manifestatum, haudquaquam differentiâ naturarum (eοῦ; & idiomatum) propter vnionem sublatâ

sublatâ, sed potius vtriusq; naturæ in vnam personam concurrentis proprietate seruata: non vt in duas personas diuidatur, sed vt idem sit Deus verus & homo verus, &c. Quam confessionem Ecclesia vniuersa summo consensu amplexa est hætenus, & tutatur; sicut etiam vetustos patres eandem acriter contra Eutychianos vindicasse legimus: vtpote qui frequenter hæc inculcarint: Salua proprietate naturæ vtriusque, natura inuiolabilis naturæ est vnita passibili. Tenet vtraque suam proprietatem. Ac, vt personam non diuidunt propria naturarum: sic vnitas personæ non potest vtriusque naturæ propria confundere vel auferre. Vide Leonem M. ad Flavianum epistol. 10. & Fulgentium de incarnatione cap. 11.

10 Nec iuuat aduersarios appellatio recepta κοινωσίας ιδιωμάτων, quam in alienum & peregrinum sensum detorquent: dum hanc communicationem de actione quadam λόγος, in humanam naturam idiomatica diuina effundentis aut transferentis accipiunt. At nusquam in scripturis legitur Filius Dei suæ carni diuinam naturam & proprietates essentialia, sic vt isti volunt, communicasse, sed sicut pueri κοινώνηκε σαρκὸς καὶ αἵματος, communicant carne & sanguine, sic ipse consimiliter eorundem particeps factus esse, id est, assumsisse semen Abrahamæ, & naturam verè humanam dicitur, Hebr. 2. v. 14. 16. Vbi verbum istud communicandi de incarnatione Filij Dei dicitur: non de effusione seu communicatione reali diuinorum idiomaticum,

11 Deinde nec vlli orthodoxi hoc pacto, quo isti, communicationem idiomaticum definierunt: sed ita: quod sit forma loquendi de Christo, quâ propria vnus naturæ tribuuntur toti personæ, ab alterutrâ naturâ denominatæ, in concreto, non in abstracto. Quam ideò veteres doctores nuncuparunt Epizeuxin & Enallagen nominum, Synecdochen, Tropum antidoseos, Antidosin, Allæosin, id est, mutuam, alternatam, reciprocam attributionem: vt Nazianzen. lib. 4. de Theol. Theodoret dialog. 1. 2. Cassianus de incarn. lib. 3. c. 6. Damascen. lib. 3. c. 3. 4. de Orth. fide.

12 Deniq; communicatio idiomaticum siue proprietatum

non minus atque naturarum Christi, mutua & reciproca est: quia unio facta est æqualiter. Vt Deus est homo, sic homo est Deus. Ita docuerunt olim Orthodoxi, de quo vide Damascen. l. 3. loco modo allegato.

Cum igitur Deus *λογος* non eo modo sit homo, ut diuinæ naturæ communicentur humanitatis proprietates, & operationes: sequitur nec hominem ideò Deum esse dicique, quòd humanæ naturæ sint diuinæ proprietates communicatæ: eoq; fundamentum illius *κοινωνίας ιδιωμάτων*, quam isti commenti sunt, infirmum & planè ruinofum esse.

13 Neque tamen hinc rectè nonnulli inferunt, hoc pacto statui proprietatum communicationem dumtaxat verbalem seu fictam. Nam vera, & realis quoque est, sed facta non in naturis, verum in persona, in qua sunt duæ naturæ perpetuò distinctæ. Commune quidem est officium utriusque naturæ, sed non communes proprietates, quæ nihilominus personæ realiter insunt. Vt enim Deus realiter est homo, sic realiter est natus, passus, mortuus, ascendit in cælum, &c. Sed *κατὰ σάρκα*, secundum humanam naturam; non diuinam. Hac enim non passus est, sicuti multi jam contendunt.

14 Ideò verè & Orthodoxè dicimus in concreto: Deus, *λογος*, est homo, incarnatus, passus, crucifixus: Et, virgo Maria est *θεοτόκος*: Homo Christus est Deus, genitus ante secula ab æterno, omnipotens, infinitus, &c. Sed malè naturas earumque proprietates mutuò prædicaremus in abstracto: ut, Deitas est humanitas, est passa, crucifixa: Humanitas est Deitas, æterna, omnipotens, infinita. Hæ enim enunciationes falsæ sunt. Contra sic docuit scriptura sentire & loqui: Deus est conspicuus factus in carne: qui tamen est invisibilis: Deus redemit Ecclesiam suo sanguine, qui tamen est spiritus. Homo Christus, qui ascendit, descendit prius. Filius Dei est natus ex semine Davidis, secundum carnem: Qui ex patribus *κατὰ σάρκα*, est supra omnes Deus laudandus in secula. Dominus gloriæ est crucifixus. 1. Timoth. 3. 16. Coloss. 1. 15. 1. Tim. 6. v. 16. Act. 20. 28. Iohan. 4. 24. Ephes. 4. 10. Rom. 1. v. 3. Rom. 9. 5. 1. Cor. 2. 8.

15. Concre

15. Concretum hinc dicitur nomen personæ, in qua sunt duæ naturæ, vt Deus, λόγος, Filius Dei, Dominus gloriæ: Homo, filius hominis, semen mulieris: Interdum etiam Caro, vt Ioh. 1. 8. sermo factus est caro, i. e. homo. Abstractum est appellatio naturæ, vt Deitas, humanitas. Explodenda ergo est inaudita illa & nudius tertius fraudulenter excogitata Nestoriana depravatio vocis Abstracti pro distracta, seu per se extra unionem considerata natura humana: qualis neque fuit, neque est, eoque ne quidem talis fingi vel considerari debet: tum etiam confusio nominum, Deus, deitas, homo, humanitas; vel concreti & abstracti.

16. Ideo frequenter monent patres, vt studiosè distinguamus & naturas, & naturarum ac personæ nomina: Vt videamus, quæ de filio Dei secundum quid dicantur; vt dextrè intelligamus dicta de Christo, quæ contraria ei tribuere videntur: ac tam naturarum confusionem, quam personæ diuisionem euitemus: cum errorum & hæreseon causa sit confusio nominum personæ & naturarum. Iustin. Mart. in Expos. fid. Tertul. de Trin. Athan. or. 4. cont. Arian. Gregor. Nazian. Serm. 21. de Filio. Cyrill. l. 10. Thes. c. 3. & 7. Hilar. de Trinit. l. 9. Ambros. de fidel. 2. c. 3. 4. & l. 3. c. 3. August. l. 1. de Trin. & 3. c. 11. Et Epistola 57. & 102. Theodoret. Dial. 3. Fulgent. l. 3. ad Thras. Damasc. l. 3. c. 3. 4. 7. 8.

17. Hinc apparet, meritò nos repudiare communicationis genus illud, quod tertium Vbiquitarij vocant, quo scilicet λόγος actu communicat humanitati suæ omnipræsentiam, vt in λόγος sit illocalis ac vbiq̄ue. De hoc enim attributo principaliter, & inde ab origine controuersie Eucharisticæ contendunt, vt corporalem præsentiam & oralem esum carnis Christi in pane Cœnæ quoquo modo obtinere posse videantur.

18. Intolerabilis etiam est eandem ob causam inuenta corruptela articuli de ascensu Christi in cœlum. Primum enim, quid & vbi cœlum sit, imò etiam, vbi

Christus

Christus sit, ambigunt. Aliquibus coelum est ipse Deus, & Dei potestas & regnum universale: Alijs duntaxat gloria, gaudium & beatitudo: Nonnulli scribunt; coelum esse ubi Deus est, eoque ipsum uniuersum, in quo Satan & daemones sint; ideo Christo non fuisse latum unguem aut pilum à terra recedendum, ut in coelum ascenderet. Deinde ascensio Christi in coelum, istis est disparitio, dispensatorium & externum spectaculum, depositio visibilitatis & infirmitatis. Denique monstra fingunt de tempore ascensus. Invisibiliter enim ascendisse Christum à momento conceptionis perhibent: ipsamque multiplicant ascensionem. Aliam enim in utero, aliam in cruce, aliam denique visibilem in monte oliueti; sed tamen sine loci mutatione factam imaginantur. Brent, de vnion. personal. pag. 18. de maiest. pag. 159. 160. Recognit. 149. 181. 104. Iacob. Andreae. cont. Orthod. consens. pag. 33. contr. Brem. pag. 180.

19 Apagè teratologias istas. Constanter teneamus sanam fidem, ascendisse Christum propria, verâ & locali migratione ex his imis terris sursum, supra omnes hos visibiles coelos, in locum, ubi est thronus Dei, & civitas, seu patria illa, ad quam & nos anhelamus. Sic credidit Catholica Ecclesia: Sic docuit Ignatius, Iustinus, Irenæus, qui vocant ascensionem *ἐνσαρκον ἀνάληψιν*: Gregorius Nyssenus, *μετέσυσιν Ἰπικλώ*. Tertullianus, inquit, Ascendit Christus in superiora coelorum: Hic sedet: hinc venturus &c. Epiphanius: *ἀνω*, sursum est corpus Domini. Augustinus ait millies, Christum corporaliter abiisse; absentasse se corpore; corpus intulisse coelos, id etiam in coelo esse visibile, locale, corporeum, in loco. Vigilius; Hoc erat ire ad patrem, & recedere à nobis, auferre de hoc mundo naturam, quam susceperat ex nobis. Et, per naturam carnis loco circumscribitur, & nunc in coelo est, & non in terra. Fulgentius: Terram localiter deserens, ad coelum ascendit, quia localis & verus homo, &c. humana substantia non fuit ubique diffusa, &c. Sic reliqui Doctores veteres omnes, post etiam Scholastici, & pontificij: quibus confessio Augustana & articuli Smalcaldici in hoc capite de persona Christi se consentire fatentur. Luc. 24. 51. Act. 1. 7. Ephes. 4. 9. Hebr. 7. 26. Vide Ignat. Epl. ad Smyrn. Iustin. apolog. ad Antonin. & Tryphon. Iren. lib. 2. & 5. Greg.

5. Greg. Nazian ad Chelid. epist. 1. & Nyssen. Orat. cont Eun. Tertull. de Carn c. & resurrectione, & Cont. Prax: Cypr. de idol. & expos. Symb. Ruff Athanas. disput. c. Ari. Cyrill. in Ioan. lib. 9. 10. Chrysof. homil. de ascens. Epiph. in Ancorat. Hieron. ad Damas. & contr. Ioh. Ierosol. Theodoret. dialog. 2. & 3. August. epist. 57. & 146. tract. 22. 30. 31. 40. 50. 78. 111. in Iohan. de Agon. Christiano c. 24. 25. Serm. 60. de verb. Dom. de Symb lib. 2 c. 7. li. 4. c. 7. De fide & Symb. c. 6. Vigil. li. 1. cont. Eutyth. & lib. 4. Fulgent. lib. 2. & 3. ad Thrasim, &c.

20 At enim (obiicere solent) præsentiam Christi in mūdo sic tollitis & negatis. Minimè verò. Nam primùm dicimus cum Augustino tractat. 102. in Ioan. Etsi reliquit Dominus noster mundum corporali discessione, & perrexit ad patrem hominis ascensione; tamen non deseruit mundum præsentie gubernatione. Et cum Vigilio lib. 1. contra Eutyth. Recessit secundum humanitatem: secundum diuinitatem est nobiscum vsque ad contumationem seculi. Iuxta formam serui, quam in cœlum abstulit, absens est, per formam Dei præsens, &c. Deinde affirmamus, non deitate solùm, sed etiam *ἐνεργεία*, gratiâ, donis Spiritus sancti, & *κοινωνία* vel communicatione sui Christum Ecclesiæ & fidelibus omnibus esse præsentissimum; vt qui caput, nos membra sibi copulet arctissimâ atque viuificâ vnione; adeo vt Ambrosij illud meritò hîc vsurpemus: Præsentior est, qui se animis inserit, quàm qui oculis protestatur. Plus enim est mente connecti, quàm corpore copulari. Contra Symmachum.

21 Neque soluit hæc assertio vinculum vnionis hypostaticæ: quod temere metuunt aliqui, Nestorianismum nobis exprobrantes injuriâ. Quos si dociles essent, erudire poterat Vigilius lib. 1. eleganter astruens, non metuentam personæ diuisionem ex distinctione proprietatum vtriusque naturæ. Cyrillus etiam, acerrimus alioqui Nestorij oppugnator, & vnionis hypostaticæ assertor Orthodoxus, nihilominus affirmat, Christum ab Ascensione carne absentem: & aliud esse, naturas distinguere, aliud diuidere. Cyrillum in Iohann. libro octauo cap. 7. & 1. 9. cap. 22. & lib. 10. cap. 38. Epistola posteriori ad Successum Isauriæ
Episc.

Episc. Diocæs. Ratio manifesta est, iam olim ab Augustino dicta: Quia filius Dei in corporis sui templo totus, etiam ubique fuit totus. Cum itaque λόγος & ubique semper sit totus, ut simplicissimus & ἀμέριστος, vel impartibilis; idem in & cum assumpta carne existit, eam gestat & sustentat, ab ea nunquam recedit aut separatur: Sicut nec in statu humilitatis Christo hinc inde loca mutante, quin nec in morte quidem, animâ à corpore disiunctâ, cessavit vel abrupta est unio. Quare prorsus ἀθεόλογον est, fingere Christum dimidium, vel λόγον ἄσαρκον, nisi caro eius sit & dicatur ubique.

22 Neque sessio ad dextram patrocinator omni præsentia naturæ humanæ; cum nihil aliud sit hæc sessio, quàm exaltatio Mediatoris Christi ad perfectionem regni & sacerdotij? eiusque summa maiestas, & gloria ineffabilis, tanquam capitis Ecclesiæ, iudicis mundi, Domini creaturarum, euecti in excellentem sublimitatem: sed sine humanæ naturæ destructione. Eph. 1. 20. Phil. 2. 9. Hebr. 1. 13.

23 Turpis igitur est error, sessionem ad dextram cum unione & incarnatione, vel etiam ascensione in cœlum; atque ita statum exinanitionis & glorificationis confundere: Et maiestatem Christi in quadam certo tempore communicatâ participatione naturæ & idiomatum Dei, & infinitâ præsentia humanæ naturæ constituere. Nam de Christo non ita dicere, ut est, etiam si honor videatur, iniuria est: ait Cassianus de incarnatione lib. 1. c. 1. Et Cassiodorus: Christus non aliter est extollendus, quam verbo Dei docemur, ne inanibus animi nostri figmentis seruiamus, non Christo. Et Augustinus: Qui videntur sic honorare Christum, ut negent carnem eius, nihil nisi mendacem eum prædicant. Tract. 8. in Iohan.

24 At verò si quæras, in quibus igitur Christi hominis maiestas consistat; Respondeo: in gratiâ unionis, in gratiâ habituali, in dignitate officij, & in cultu, ac honore. Nam hic homo verus est Deus, naturâ & gloria

gloriã Deo patri æqualis: Et licet humanitate sit inferior Deo, & minor Patre: tamen exaltatus supra angelos, eminet excellentissimis donis, quæ tanto numero, tantoque gradu, nulli creaturarum insunt: Et officium Mediatoris administrat gloriosissime, regnans potenter in cœlo & in terra, colligens Ecclesiam, & dominans in medio inimicorum, dum eos pedibus suis planè subjiciat: idèoque tanquam Dominus & index vniuersalis & caput Ecclesiæ, vno latris cultu ab vniuersa Ecclesia angelorum & hominum, honoratur, adoratur & celebratur.

25 Iam euanescit & illa calumnia, quã nos aliqui grauant, perinde ac si homini Christo latris, adorationisque cultum detrahamus & negemus. Atqui professi semper sumus eum Orthodoxa vetustate, totum Christum adorandum esse vno latris cultu: Et in inuocatione eius, carnem etiam complectimur: quia hanc in vnitatem personæ assumpsit λόγος, & inhabitat ἀχω-
ειςως, καὶ ἀδιαιρέτως.

26 Sed in eo iure dissentimus ab antagonistis, quòd ipsi causam adorationis esse contendunt communicatam omnipræsentiam, omnipotentiam, omniscientiam carnis Christi. Quod & Arianos olim sensisse, testatur Cyrillus in Iohannem libro secundo, capite 141. & 142. Vbi clarissimè nostram confessionem recitat: Filium Dei ob æqualitatem substantiæ cum patre æqualiter honorandum esse: quia præter solum Dominum Deum nil adorare scriptura iubeat. Ergo si propter aduentitias dignitates adorandum putant Christum (Ariani,) non creatorem, sed creaturam adorant, recentem quendam Deum ex imperitia fingentes. Et Thesauri libro secundo, capite primo palam affirmat: Nulli prorsus naturæ, præterquam Dei, adorationem tribui, &c.

Sic docuit antiquitas veneranda. Augustinus sermone 58. de verbis domini, & tractatu 23. in Iohannem. Si Filius non est naturã Deus, nec adorandus est, &c. Vide Epiphanium in Ancorato: & Damascenum lib. 4. cap. 3. vbi perspicuè rem declarat, & ait: Non dicimus, quòd carnem adoremus nudam, sed carnem Dei, hoc est, incarnatum Deum.

Quid

Quid quòd aduersa pars, vi veritatis adacta, fatetur in apolog. lib. Concord. cap. 1. humanitatem assumptam per se etiam in vnione personali, quà creatura, consideratam, non adorari posse vel debere; Vel igitur secum conflagunt; vel temerè litigant.

Hactenus Orthodoxæ doctrinæ de persona Christi vindiciæ: Progrediamur ad officium eius, cuius consideratio non minus necessaria, & salutaris.

D E O F F I C I O E T
B E N E F I C I I S C H R I S T I.

I.

OFFICIUM Christi consistit in triplici functione, Prophetica, sacerdotali, regali: ad quas à Deo patre vnctus est oleo lætitiæ i. e. ordinatus, & Spiritus sancti donis cumulatissimè ornatus: sicut etiam fuit per veteres illos Prophetas, reges, sacerdotes vngi solitos, repræsentatus. Psal 45. v. 8. Heb. 1. v. 9. Iesaiæ 61. v. 1.

2 Hic enim Messias, i. e. Vnctus domini, est ille promissus olim Propheta. Deutero. 18. v. 15. Act. 3. vers. 22. Imò princeps Prophetarum, Sapientia patris, & doctor cœlestis: qui inde ab initio revelauit Deum, quem nemo vidit, nec nisi ipso patefaciente, nosse potuit: qui legem promulgauit, & post à corruptelis Pharisæicis repurgauit; ac veteribus prophetiis finem imposuit, implendo prædicta: qui voce euangelij etiamnum in mundo colligit ecclesiam, & dat doctores & pastores, per quorum ministerium efficaciter operatur in electis, intus mentes illuminans, & corda permouens ad credendum & obtemperandum Euangelio.

3 Idem est verus ille ἀρχιερεύς, id est summus & æternus sacerdos secundum ordinem Melchizedeck, qui solus vnicum verè propitiatorium sacrificium pro peccatis nostris,

stris, nempe seipsum, victimam immaculatam bonæq; fragrantiae semel obtulit, & apud Patrem assidue pro nobis intercedit, efficiens vt propter perpetuum sacrificij sui vigorem in gratiam recipiamur.

4 Denique Rex est, qui Ecclesiam suam per vniuersum mundum diffusam, verbo & spiritu gubernat, & tuetur contra hostes, eamque ornat & instruit donis, & tandem cœlesti gloria coronabit, hostibus debellatis, & in æternas pœnas præcipitatis.

5 Ergò longùm valeant omnes illi doctores, qui novis legibus, hominumq; mandatis & traditionibus, conscientias onerant & constringunt: omnes sacrificuli, qui sacrificium *ἱλαστικὸν* ad expianda peccata, se quotidie offerre somniant: Pontifices denique Romanenses, qui pro vicariis Christi, & capite Ecclesiæ vniuersalis sese gerentes, miserabili tyrannide Ecclesiam opprimunt, & in visibilem monarchiam, regnumque mundanum eam transformant; suam istam *ἱεραρχίαν* pro verâ Catholicâ Christi Ecclesiâ clamosissimè venditantes. Nam qui talia audent, pro antichristis habendi sunt.

6 Ex dictis patet, qualia & quanta sint Christi in nos beneficia; quæ primùm in statu humilitatis seu exinaniationis nobis est promeritus patiendò; factus sub lege, & Patri obediens usque ad mortem: jam autem in statu gloriæ seu exaltationis, nobis & omnibus suis electis, ac vivis membris potenter confert.

7 Tota quidem vita Christi in terris fuit continua passio miseriarum & calamitatum innumerarum, quas ipse, qui sine peccato erat, nostrâ causâ voluntarie sustinuit: sed tamen passionis nomine *κατ' ἐξοχλὴν* intelligitur extremus actus & colophon humiliationis ac obedientiæ ipsius, quo se ad mortem, eamque crucis maledictæ, summisit, atque *κατὰ* factus, & horrendam iram Dei aduersus peccata nostra, & ineffabiles cruciatus, non corpore solum, sed etiam animâ perpeffus est, vt nos à maledictione legis, & potestate Satanae redimeret, & benedictionem Abrahæ, ac adoptionem filiorum acquireret. Galat. 3. 13. & 4. 5.

8 Hinc perspicuum est, quod sit salutare illud remedium,

dium, nobis ægis ad sanitatis pristinae recuperationem plane necessarium, à summo isto Medico, pastore & curatore animarum nostrarum (vt appellatur 1. Pet. 2. 25) acquisitum, allatum, oblatum, & collatum; absque quo fuisset, æternum perieramus.

Nimirum vnicum & efficacissimum antidotum contra peccati & mortis venenum, est λύτρον, meritum & satisfactio Christi. Nam hic verè morbos nostros pertulit, & dolores nostros portauit, vulneratus & attritus ob præuaricationes nostras: Huius vibicibus & liuore sanati sumus: Huius sanguine abluti & mundati ab iniquitatibus. Hic semet ipsum dedit ἀντιλύτρον pro peccatis nostris, eaque pertulit in corpore suo super lignum. Hic est pax nostra reconcilians nos Deo per crucem, factus pro nobis exsecratio, vt benediceremur; Hic vnica oblatione consecrauit in perpetuum eos; qui sanctificantur: Hic vnus denique nobis est Iesus, id est, seruator, ἰλασῆριον, ἰλασμός, ἀπολύτρωσις propitiatio; sapientia, iustitia, sanctificatio & redemptio; & autor salutis æternæ. Iesai. 53. v. 4. v. 5. Apoc. 1. v. 5. 1. Iohan. 1. v. 7. 1. Cor. 6. v. 11. Gal. 1. v. 4. 1. Pet. 2. v. 24. Ephes. 2. 14. Gal. 3. v. 13. Heb. 10. v. 14. Matth. 20. v. 28. Rom. 3. v. 25. 1. Ioh. 2. v. 2. 1. Cor. 1. v. 30. Eph. 5. 14. Heb. 5. v. 9.

10 Absit ergo, vt ἀλεξιφάρμακον vel medicinam aliam aliunde requiramus; aut à nescio quibus Diuis & sanctulis, aut ex imaginario quodam thesauro Romanensis expetamus: aut à nostris vel alienis operibus expectemus: atque ita veram illam panaceam coelestis archiatri vilipendamus, & abiiciamus: quum hic medeatur omnibus morbis nostris Ps. 103. v. 3 & populo suo promiserit: Ego ero curator, vel sanator tuus. Exod. 15. 26. Ego Ego ipse deleo iniquitates tuas propter me. Ies. 43. v. 26. Ego pereuntem ouem requiram, depulsam reducam, fractam obligabo, ægrotam confirmabo. Ezechiel. 34. 16.

11 Nos potius de huius salutiferi pharmaci & vnici remedij recta applicatione sollicitè cogitemus oportet: vt eius vim ac efficaciam in nobis ipsi sentiamus, ac participemus, eoque salutem & vitam æternam assequamur.

12 Nam etsi pretij, lytri & remedij huius à Christo allati, & in Euangelio oblati, magnitudo & vis tanta est, vt totius

tius

tius mundi, & omnium hominum peccatis delendis sufficiat: tamen eius efficaciam & salutiferam vim ij soli percipiunt, qui satisfactionem & meritum Christi vera fide sibi applicant; vt magno consensu tota scriptura tradit. Marc. 16. v. 16. Ioh. 1. c. 1. 12. c. 3. 18. 36. c. 5. 24. c. 6. 40. c. 8. v. 24. Act. 10. v. 43. Rom. 3. v. 22. Heb 5 vers. 9.

13 Meritò igitur repudiamus absurda deliria de vniuersali quadam redemptione, iustificatione, reconciliatione, remissione peccatorum, regeneratione, sanctificatione, imò & electione omnium hominum promiscuè, etiam infidelium, ac reproborum.

14 Nec enim indifferenter omnes homines elegit Deus, sed eos tantum, quos prædestinauit *eis vniuersaliter* per Christum, secundum *eu dōxiā* voluntatis suæ, ad laudem gloriose gratiæ suæ. quosque dedit Filio, tanquam oues & peculium. Quos autem prædestinauit, eosdem vocat secundum propositum, & efficaci vocatione trahit, vt veniant ad filiū; eosque fide vera donat, vt pastoris sui vocem audiant & sequantur. Eph. 1. 5. 11. Iohan. 6. 36. & 10. 15. Rom. 8. 30.

15 Ideò sic definit Augustinus prædestinationē: est præparatio gratiæ donationis, quā Deus nos adoptauit in filios per Christum Iesum. lib. de prædest. cap. 10. & de fide ad Petr. c. 35. Et de bono perseuerantiæ c. 14. sic: est præscientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur. Item alibi; Prædestinatio est decretum miserendi, h. e. per gratiam & media ab ipso disposita ad summum finem, id est, gloriam, perducendi. Sicut contra Reprobatio est decretum non miserendi, sed in natiua cæcitate & perditione relinquendi, & tandem ob peccata in æternas pœnas abiiciendi.

16 Aliàs quidem prædestinatio generalius sumpta tum electionem, tum reprobationem, tanquam species, complectitur; ac præscientia quoque dicitur: quod Augustinus de bono perseuerantiæ l. 2. c. 18. testatur his verbis: Vnde aliquando eadem prædestinatio significatur etiam nomine præscientiæ: sicut ait Apostolus: Non repulit Deus plebē, quam præsciuit. Rom. 11. Et enchirid. cap. 100. prædestinatio partim ad salutem, partim ad pœnam refertur. Et tract. 43. in Ioh. ait Iudæos æternæ morti prædestinatos fuisse.

D 17. Ita

17 Ita prædestinatio, tanquam species, sub providentia Dei continetur: à qua differt eo, quòd hæc ad vniuersa se extendit: prædestinatio non item. Nam providentia Dei est præscientia certa rerum omnium, & voluntas liberè, sapienter, iuste cuncta decernens, & decreta potenter efficiens; ac singulas creaturas conseruans & gubernans: & vniuersa ad fines suos eosque optimos dirigens: Prædestinatio autem ad rationales creaturas (puta homines, de quibus solis hîc agitur) & earum vltimum finem (vt beatitudinem) refertur.

18 Itaq; prædestinatio est æternū & immutabile Dei consilium, quo proposuit aliquos de humano genere, in peccatum ac mortem lapsuro, ex gratuita misericordia in Christo eligere, sanctificare, iustificare, æternaque vita donare: reliquos autem iusto iudicio relinquere in prauitate & peccatis suis, ac tandem æterna morte punire; vt in illis indebitam gratiam; in his debitam iustitiam ostenderet ad sui nominis gloriam. Fulgentius sic descripsit lib. 2. ad Monimū: Prædestinatio est preparatio operum Dei, quæ in æterna sua dispositione aut misericorditer se facturum præsciuit, aut iuste.

19 Sed hîc cum Apostolo Rom. 8. v. 30. Eph. 1. 5. loquimur de *προορισμῶν*, id est, prædestinatione in specie, siue sanctorum, quæ est ipsa electio ad vitam & gloriam, ab æterno facta, qua suos discreuit à massa illa perditionis; & postea in tempore segregat à reliqua turba profanorum, ac secundum propositum vocat, iustificat, sanctificat, & tandem glorificat.

20 Huius electionis causa non potest esse fides præscita: sicut aliqui contendūt, veterum Pelagianorum errorem renouātes: quod apparet ex collatione dogmatum illorum & horum. Vide August. tom. 7. Epist. Prosperi & Hilarij Arelatens. ad Aug.

21 Cū enim fides ab electione, tanquā causa, dependeat; præposterum est, effectum ostentare pro causa. Sic namque Apostolus, Eph. 1. 4. 5. Elegit nos Deus, vt essemus sancti, & inculpati, eoque etiam fideles: non quia sanctos & fideles futuros præsciuit. Idem dixit Augustin. de prædest. cap. 17. Elegit Deus fideles, sed vt sint, non quia iam erāt. Sic

Act.

Act. 13. 48. dicuntur credidisse, quotquot præordinati fuerunt ad vitam. Et Christus affirmat, Ioh. 6. v. 37. 44. omnes, quos pater dederit filio quos pater traxerit. venire ad se. Denique electionis causam vnicam ponit S. scriptura *Edoxiaw* Dei, qua proposuit eorum misereri, quorum miseretur, pro beneuolo affectu voluntatis suæ, ad laudem gloriosæ suæ gratiæ, qua nos gratis effecit sibi gratos in illo dilecto Filio suo Iesu Christo, Matth. 11. 26. 4. Rom. 9. 16. Eph. 1. 6.

22 Vnde colligere promptum est, eos demum electos esse, in quibus fides vera, conuersio, iustitia, sanctitas, apparent suo tempore. Fructus enim hos bonos tantum abest, ut electio diuina excludat, ut potius includat, ponat, adferat, producat, & ex his, ceu *τεκμηρίοις* de nostri electione certi esse debeamus. Contra qui nunquam veniunt ad Christum & licet vocati in eum non credunt, neque resipiscunt à peccatis; ij neque ad vitam prædestinati, neque Filio dati à Patre, nedum Deo reconciliati, iustificati, sanctificati vnquam fuisse intelliguntur. Sic Aug. Non omnes vocati, sunt secundum propositum vocati, sed illi, qui electi ante constitutionem mundi. Nemo credit non vocatus, sed non omnis credit vocatus Lib. 2. cont. 2. epist. Pelagian. cap. 9. Et lib. 1. ad simpl. quæst. 2.

23 Sed neque potest effectus misericordiæ Dei eligentis sic in hominis potestate esse, ut frustra Deus misereatur, si homo nolit: quia si vellet etiam ipsorum reprobtorum misereri, posset eos ita vocare, ut mouerentur & sequerentur; inquit idem Augustinus lib. 1. ad Simplicianum quæst. 2. Et de prædest. sanct. cap. 8. Hæc gratia, quæ occultè cordibus humanis diuinâ largitate tribuitur, à nullo duro corde respuitur. Ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia penitus auferatur.

24 Nihilominus Euangelicæ promissiones sunt & manent vniuersales: tum quia ad omnes & singulos credentes quorumvis locorum & temporum, pertinent, & vniuersos eas fide apprehendentes comprehendunt, ac vnumquemq; speciatim cōsolantur: tum quia in ministerio, & verbi prædicatione, omnibus in Ecclesiâ offeruntur; etsi non omnibus conferuntur; idque culpâ ipsorum propriâ.

Nam hypothesein & conditionem fidei illis annexam esse, luce meridiana clarius est ex dictis Ioh 3. v. 16: Ita Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum dederit, vt omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam: Qui credit in filium, habet vitam, &c. Actor. 10. v. 43. Huic omnes Prophetæ testimonium ferunt quod remissionem peccatorum accepturus sit per nomen eius Omnis qui crediderit in eum. Rom. 3. v. 22. Iustitia venit in omnes & super omnes credentes. Ac vocat quidem omnes Christus ad se, promittens refectionem & gratiam suam: sed non nisi venientibus vsum fructu huius gratiæ communicat. Matth. 11. 28. His igitur est promissio veri καὶ ὄλης; non autem iis cōmunis, qui vocantem surdā aure prætereunt. Qui enim non credit, iam condemnatus est: & nō videbit vitam, sed ira Dei manet super eum. Ioh. 3. 18. 36.

25 Imò hæc credentium vniuersitas est ipsa Catholica Ecclesia Christi, quam in symbolo credimus, & cui vni diuinæ illæ opes Euangelij, & imprimis quæ vltimis articulis continentur bona, Remissio peccatorum, resuscitatio gloriosa, & vita æterna, promissa & propria sunt.

26 Licet enim Ecclesia generaliter dicatur cœtus vocatorum ad regnum Dei, & profitentium veram doctrinam: in quo multi versantur, & interdum eminent, hypocritæ: tamen vera Catholica Ecclesia est communitio sanctorum, ac panegyris, conuentus & concio primogenitorum, qui conscripti sunt in cœlis. Heb. 11. 23. sponsa, corpus, & grex ouium Christi; ciuitas, ager, vinea, domus Dei; gens sancta, regale sacerdotium: Id est; Ecclesia est cœtus prædestinatorum vel electorum ad vitam æternam, & spiritu sancto renatorum, vera fide Christū recipientium, & in ea perseuerantiū: à Filio Dei inde ab initio mundi ex humano genere per verbi prædicationem collectus, & ad finem vsque colligendus. Ergo Ecclesia catholica est vniuersitas piorum tantum: non etiam Impiorum. Sic Augustin. ait, Ecclesiam Catholicam esse, quæ rectè credat in Deum: Et Catholicos, qui sunt fideles & oues Christi. Ad Neoph. & tract. 45. in Iohann. Cyrill. Ierosol. cap. 18 catech. inquit: Ecclesia dicitur catholica, quia docet catholicè & perfectè omnia dogmata, quæcunque hominesteneretur cognoscere. Deinde propterea catholica dicitur,

tur, quia diffusa est per totū orbē, propter Euāgelium, quod prædicatur omni creaturæ: & eius ciues sunt omnes sanctificati homines, qui fuerunt, sunt & futuri sunt: vti loquitur idem Augustinus.

27 Hæc autem vera Ecclesia, ex puro ministerio verbi & sacramentorum, & obedientia erga illud agnoscitur: non autem ex visibili quodam splendore, numerosa multitudine, successione episcoporum, consensione externa, siue conspiratione, & fallacibus eiusmodi notis, quales Pontificij iactitant; quales nec Phariseorum olim, nec aliorum impiorum synagogis vnquam defuerunt.

28 Atenim illi demum coetus Christianorum, pro veris Ecclesijs particularibus, ex quibus vna Catholica constat, agnoscendi sunt, in quibus vox Christi, hoc est, sincera doctrina Euangelij sonat, prædicatur, auditur, & recipitur: alienis dogmatibus reiectis: & sacramenta, Baptismus, & cœna, legitimè & secundum institutionem Christi dispensantur: tum etiam disciplina & obseruantia mandatorum Christi viget, ac vrgetur, vt omnes piè, iustè & temperanter viuant, & caritatis officia mutua præstent. Itaque illos etiam in his cætibus solos, qui verbo Domini delectantur, & credunt, sacramenta ritè percipiunt, dignam Euangelio vitam agunt, & fratres diligunt, pro germanis Christi discipulis, eoque veris Ecclesiæ Catholicæ ciuibus ac membris habendos, & hos demum, non autem eos, qui contraria faciunt, thesaurorum diuinorum consortes esse, statuimus.

29 Falluntur igitur, & fallunt tum Pontificij, qui reprobos etiam & hypocritas, modò Christum ore profiteantur, & subsint Episcopo Romano, Ecclesiæ veræ & Catholicæ aggregant & annumerant, tum illi, qui eosdem reprobos gratiæ Dei & reconciliationis, peccatorum remissionis, & iustificationis, ac sanctificationis, non minus atque electos & viua membra Christi Ecclesiæque, participes fieri, ac nihilominus perire, propterea quòd Dei ipsos pari cum electis gratia dignati consilium irritum reddiderint, & accepta semel beneficia Christi infidelitate sua perdididerint, admodum absurde comminiscuntur.

30 Cur autem ista gratia Dei non ad omnes, sed aliquos veniat, ad alios non veniat; occulta causa esse potest, iniusta esse

esse non potest, inquit August. de peccator. meritis & remiss. lib. 1. cap. 21. Ut enim discretio Ecclesiae à cæteris gentibus alienis à fœdere, quas fuit incedere suis ipsarum viis. Act. 14. v. 16. pendet à solius Dei liberâ voluntate, & beneplacito: sic & singulorum eius membrorum efficax vocatio, & acceptatio, singulare & gratuitum Dei donum est, qui sine vllis precedentibus meritis, cuius vult, miseretur, & quos dignatur, vocat, & quem vult, religiosum facit: ac eo declarat, quòd debita pœna reddatur damnato, indebita gratia liberato, vt nec ille se indignum queratur, nec dignum se iste gloriatur. Agamus ergò gratias saluatori, dum nobis reddimus non cernimus, quod in damnatione similiū etiam nobis debitū fuisse cognoscimus. Si enim vtriq; liberarentur, lateret, quid peccato per iustitiam deberetur: si nemo, quid gratia largiretur. Verba sunt Augustini Epist. 105. ad Sixtū: Vide quoq; lib. de prædest. sanct. c. 6. 8. 9.

31 Iam ergò tria illa summa dona à Christo nobis parata & parata, quæ postremis articulis fidei contineri diximus, paucis consideremus.

32 Primum est remissio peccatorum: nempe donum illud Dei gratuitum, quo fidelibus iniquitates & peccata nō imputat, sed ex misericordia cōdonat offensas, & pœnas cōmeritas, propter vnicam & plenissimā satisfactionem mediatoris Christi: idque in hac vita: non demum à morte animabus purgatorio quodam igne lustratis & bene perpur-gatis. Nam postquam hinc excessum fuerit, nullus remissioni peccatorū, vt nec pœnitentiæ, locus est relictus: nullus satisfactionis effectus. Hic vita aut amittitur, aut tenetur: ait Cyprian. contra Demetriā. Epiphani. hæres. 59. contra Nouat.

33 Sed post hanc vitam expectanda fidelibus est resurrectio carnis, id est, restitutio eiusdem substantiæ corporis, quod nunc gestant, eidem animæ vniti, & glorificati, ad beatam immortalitatem.

34 Denique vita æterna, finis fidei nostræ: 1. Pet. 1. 9. vltimum in pietate Christiana, quæ erit plena visio ineffabilis pulchritudinis, quæ sanctis & Deum timentibus reposita est: ait Augustin. in enchirid. cap. 5. vel, est illustris Dei agnitio & celebratio, conformitas cum ipso, lætitiaq; in eo, ac gloria, & felicitas immensa, omniumq; bonorum sufficientia, in æternum duratura. DE

DE FIDE ET IVSTIFICATIONE.

I.

Cum igitur fides sit vnicum medium, & instrumentum apprehendendi & percipiendi Christum, & summa eius beneficia nostræ salutis necessaria; naturam & vim fidei expendamus oportet.

2 Fides hæc non est ea, quæ dicitur historica, videlicet nuda cognitio, & assensio, quâ credimus asseuerationib. diuinis; vel quâ profiteamur & approbamus verâ Ecclesiæ doctrinam, etiam cum lætitiâ: quod faciunt *αἰσθητικοί*, promissiones corporales cupide arripientes; neq; est ea, quæ miraculorum dicitur, quæ est singulare quoddam donum & impulsus Spiritus sancti, ad mirabilia opera peragenda: qualis & hypocritis sæpè contigit.

3 Sed est *πληροφορία & πεποιθήσις*, id est, certioratio, plena persuasio, & fiducia, vel notitia fiducialis, gratuita reconciliationis cum Deo, promissionē gratiæ, salutis & vitæ æternæ, & iustitiam Christi sibi sigillatim & certissimè applicans, in fauore Dei acquiescens, tristitiam & merum superans, ac per caritatem efficaciter operans 1. Thessal. 1. 5, 2. Tim. 1. 12. Eph. 3. 12. Gal. 2. 20. & . 6,

4 Hæc fides sicut est Electorum propria, sic est certa artha adoptionis & hæreditatis cœlestis: quia *χάρισμα ἀμετάμελλον* Dei: & hypostasis eorum quæ sperantur, ac certa demonstratio eorum, quæ non videntur, Heb. 11. 1. Nam omnibus credentibus in nomen Filij, dedit potestatem, vt filij Dei fierent. Ioh. 1. 12. Si filij, etiam heredes. Rom. 8. 17. Hæc spes non pudefacit Rom. 5. 5.

5 Itaq; non probare possumus illorum opinionem, qui fidem in electis penitus amitti & prorsus extinguere dicunt: quia sic gratiæ diuinæ, promissionum Euangelij, spei, salutisq; certitudinem, & ipsum solatij nostri firnamentum labefactant, adeoq; euertunt.

4 Licet enim etiam fideles subinde cum varijs dubitationibus, & diffidentia carnis suæ luctari necesse sit: imò fidem etiam quassent & sopiant lapsibus contra conscientiam: tamen fides victrix tandem emergit, nec vnquam planè deficit aut excidit. Quia fidelis & verax est,

qui dedit initium, & promisit incrementum, ac perseverantiam. Nec intercessio Christi pro suis vnquam potest esse irrita: Oraui pro te, ne deficiat fides tua. Luc. 22. Quid autem orauit (inquit Aug. de corrupt. & grat. cap. 7.) nisi vt Petrus haberet in fide fortissimam, inuictissimam, perseverantissimam voluntatem? Et Chryl. ac Theoph. hac paraphrasi dictum illustrent: Etsi paulum concutiendus es, tamen habes recondita semina fidei. Rom. 8. 35. Ioh. 6. 39 & 10. 28.

7 Hac fide dicimus, hominem iustificari coram Deo; non vt merito, sed vt medio: quia fides Christum amplectitur, & nobis meritum ac iustitiam eius applicat ad salutem.

8 Iustificatio est actio Dei, quâ gratis, sine vlllo nostro merito, nobis credentibus peccata remittit, & meritum, iustitiam, obedientiam, & satisfactionem Christi imputat, & nos in gratiam recipit, ad gloriam suam, & nostram salutem ac beatitudinem æternam.

9 Principalis causa iustificationis est ipse Deus, qui iustificat impium Rom. 4. 5. & c. 8. 33. quia solus remittit peccata, & imputat iustitiam. Materialis & meritoria causa est satisfactio, meritum, sanguis & obedientia Christi. Rom. 3. 25. & c. 5. 8. Formalis est ipsa imputatio iustitiæ, qua coram Deo iusti constituimur. Finalis causa est, vt soli Deo gloria clementiæ & iustitiæ tribuatur, & nos salutem, eamque firmam & ratam, obtineamus.

10 Fides autem, non nisi instrumentalis causa iustificationis est ex parte nostra: quia fide ceu manu apprehendimus, & applicamus nobis iustitiam Christi, eiusque imputationem à Deo factam.

11 Ideò non concedimus Pontificiis, iustificationē esse infusionem iustitiæ inhærentis, fidei, spei, caritatis, ipsamq; regenerationem vel sanctificationem, qua fiat homo ex malo bonus & iustus: nec istud, fidem esse radicem & initium iustificationis, & ad eam disponere: sicut timorem Dei, cognitionem verbi eius: & peccatorum nostrorum; spem salutis: & similia. Bellar. de iustif. lib. 2. c. 2. 3. & lib. 1. c. 13.

12 Ac sola fide iustificari nos dicimus; quia sola fides est organon apprehendens iustitiam Christi, cuius solius sanguis expiat peccata: propter quem solum in gratiam à Deo recipimur, & iusti reputamur. Nam & ipsam fidem, quâ

quã virtus est, siue opus Deo cultum præstans, non minus, quam spem, caritatem & alia opera, excludimus ab efficien- tia seu virtute iustificandi. vt homo non in se, vel vllius o- peris dignitate, sed in Domino gloriatur; cuius gratia, nisi gratuita sit omni modo, neque gratia erit vlllo modo.

13. Particula Sola, in hac enunciatione: Sola fide iusti- ficamur, non est *πρωθήκη*, nuper demum à nostris excogi- tata, sed olim à veteribus doctoribus etiam vsurpata: quin & scripturis consentanea. Nam & in Euangelio inuenimus, *μόνον πίστευε*, solum crede. Marc. 5. 36. Luc. 8. 30. Et apud Pau- lum frequentissimam illam antithesin, non ex operibus, sed fide, gratis, sine lege: & non iustificamur, *εάν μη*, nisi per fi- dem. Gal. 2. 16. Et Patres disortè non raro idem habent, nos sola fide iustificari: vt Origenes lib. 3. ad Roman. 3. dicit suffi- cere solius fidei iustificationē, ita vt credens quis tātummo- do, iustificetur, etiam si nihil ab eo operis fuerit expletum. I- tem, Ex nullo legis opere, sed pro sola fide Dominus ait; Re- mittuntur tibi peccata tua.

Athanasius ad Galat. 3. fidem solam iustificandi virtutem habere.

Basiliius homilia de humilitate: Nouit pius, se sola fide in Christum iustificatum, Græca ipsius verba sunt hæc:

Αὐτὸν ἐγὼ μὲν ἐνδὲν ὄντα ἐαυτὸν δηλοσώσης ἀληθεύς, πίστις δὲ μόνη τῆ εἰς χεῖρὸν δεδηλωμένον.

Hesychius in Leuiticum lib. 1. cap. 2. & lib. 4. cap. 14. Sola fide comprehenditur iustitia, non ex operibus.

Hilarius in Matth. cap. 8. fides sola iustificat. Chrysostr. in Rom. 3. & ad Galat. 3. Apostolus docet, eum qui sola fide ni- titur, benedictum esse. Item, Quod in gloriationē induxit, nullis ad hoc vsus est operibus, sed fidem tantum exigens.

Theodoretus ad Roman. Sola fide remissionem peccato- rum accepimus.

Ambrosius in Roman. cap. 3. 4. 8.

Sola fide iustificati sunt, dono Dei. Item: nullum requi- rit opus, nisi tantum vt credant. Sola fides posita est in salu- tem. Augustin. tractat. 42. in Iohan. Fide Sola possunt à pec- catorum obligatione liberari.

Hieronym. in cap. 10. Roman. Deus ex sola fide iusti- ficat.

Beda

Beda in Psal. 77. per iustitiam factorum nullus saluabitur, sed per solam iustitiam fidei.

Primasius ad Rom. c. 4. & 8. propositum Dei fuisse, ut sine operibus vel meritis per fidem solam justificaret impios. Gentibus secundum fidem filiiis Abrahæ sola fides ad iustitiam reputatur. Fides sola sufficit ad iustitiam.

Rabanus Maurus in Epist. Iacobi c. 2. Abraham per opera quæ fecit, iustus non fuit, sed sola Fide. Oblatio autem eius, opus & testimonium fuit fidei.

Itidem Bernhardus exclusiuam eandem posuit. Sola fide hominem posse saluari: Iustificatum sola fide, pacem habere apud Deum. Serm. 22. in cantica. Epist. 77.

Deniq; Thomas Aq. in ep. ad Rom. c. 4. fatetur fidem fuisse sufficientem causam salutis Abrahæ: sic dicens: Hic Apostolus ostendit, Iudæorū & gentilium paritatē post justificationem ex perfectione fidei sufficienter justificantis, quod ostendit exemplo Abrahæ. Et in hymno: Ad firmandum cor sincerum sola fides sufficit.

14. Opponitur autem istud SOLA, non ἀπλῶς operibus: quasi fides justificans sit cassa vel destituta bonis operibus; sed operum meritis: quæ quidem nulla esse possunt coram Deo. Quia bona nostra opera omnia sunt imperfecta, vitiosa, polluta, qualia iustitia Dei non admittit. Deinde, quæ bonâ, sunt Dei dona; non nostra: deniq; licet bona, tamen sunt debita Ies. 64. 6. Eph. 3. 12. Luc. 17. 10. Si feceritis omnia, dicite, serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus. Ideo rectè Augustinus dixit: Væ etiam laudabili vitæ hominum, si remota misericordia discutiat eâ Deus. l. 9. Confess. c. 13. Item Humana merita conticescant, quæ perierunt per Adam, & regnet sola gratia Dei. Meritis suis nil tribuunt sancti, totum nō nisi misericordiæ Dei. Item, Gratia salvifica non meritis redditur, sed gratis datur, propter quod gratia nominatur. Et: cetera vitia tantum in malefactis valent, sola autē superbia etiã in rectè factis cavenda est. Vnde admonetur illi, ne dona Dei suæ potestati tribuendo seseq. extollendo, grauius pereant, quàm si nil boni operarentur. In Psal. 43. 88. 139. De nat. & grat. cap. 4. & 27. Idem Epist. 105. de verbis Apostoli, stipendium peccati mors: Rectè stipendium ait.
Quia

Quia debetur: quia dignè retribuitur: quia merito redditur. Non è contrario dicit, Stipendium iustitiæ, vita æterna, sed Gratia Dei, vita æterna: & ne hæc præter mediatorem alia quadam via quæreretur, adiecit: In Domino nostro Iesu Christo. Solus Christus pro nobis suscepit sine malis meritis pœnam, ut nos per illum sine bonis meritis consequeremur gratiam l. 4. ad Bonif. c. 4. Item: Mors eius, meritum meum. Non sum meriti inops, quandiu ille miserationum Dominus non defuerit. Et, dona sua coronat, non merita tua. In Psal. 104, v. 142. Sic Bernhard. serm. 61 Super Cant. & de annunc. Mar. Æternam vitam nullis potes meritis promereri. Et de lib. arb. Id totum gratiæ Dei est quod creamur, sanamur, saluamur. Sufficit ad meritum, quod non sufficiat meritum. Merita habere cures, habita data noueris, fructum speraueris Dei misericordiam. Alioqui si propriè appellentur ea, quæ dicimus nostra merita, via regni sunt, non causa regnandi. Quin & Gregorius M. ait: Sciunt sancti, quod omnis humana iustitia iniusta esse deprehenditur, si diuinitus districte iudicetur, lib. 21. Moral. In Iob. l. 23. c. 15.

15 Falsa sunt igitur dogmata pontificia; quod fide, quâ habitus infusus, & ratione efficientiæ; quodq; inhærente iustitiâ; quod operibus caritatis iustificemur; quod aliquid mereri possimus; quod satisfactiones nostræ ad meritum Christi accedere oporteat; quod operum, imprimis orationis, Eleemosynæ, jejuniij, ea sit efficacia, ut sint meritoria vitæ æternæ; quod prædicatione justificationis gratiæ studiū bonorum operum tollatur vel imminuatur: & quæ sunt his affinia. Bellar. de iust. lib. 1. ca. 12. l. 2. 15. l. 4. l. 5. c. 1. 7. Concil. Triden. sess. 6. c. 4. 6. 10. 26. 23. & 14. 6. 8. 9.

16 Sed de iustificantis fidei causis quoq; videamus. Fidei causa principalis est Spiritus Sanctus: instrumentalis, ministerium Ecclesiasticum, ideò diuinitus institutum; prædicatione nempe verbi, & usus Sacramentorum; illa fides accenditur in cordibus, hoc confirmatur.

17 His medijs Spiritus Sanctus ordinariè quidem, attamen arbitrariè seu liberè utitur ad excitandam & fovendam fidem. Nec enim illis vis & efficacia infusa est aut alligata, sed Spiritus Sanctus spirat, ubi vult, & distribuit sua dona prout vult. Ioh. 3. 8. I. Cor. 12. Itaq; duo extrema hic vitanda sunt, ne vel Enthusiastarum more divina illa organa, tanquam inutilia & evanida contemnamus; vel ijs plus æquo tribuamus, ac salutem necessariò affixam esse credamus: quod superstitiosus solenne est.

DE

DE SACRAMENTIS.

I.

SACRAMENTA Latini patres vocarunt, quæ Græci *μυστήρια*, nempe sacros ritus, arcana Dei beneficia, & cœlestia bona, ἀμυήτοις ignota & abscondita, significantes, & nos Deo consecrantes.

2 Sacramentum alioqui latinis, etiam dicitur, quod jurisiurandi sacratione interposita geritur; ut ait Festus: vel solennis obligatio juramento intercedente. Sic nostra sacramenta quoque militari Sacramento, quo duci milites obligantur, (de quo Cicero lib. 1. de offic.) conferuntur. Ita Tertullianus cont. Prax. & de corona militis: Vocati sumus ad militiam Dei vivi, jam tunc, quum in sacramenti (i.e. baptismi) verba jurauimus. Et Hieron. ad Heliodorum: Recordare tyrociniij tui diem, quo Christo in baptisinate consecutus, in sacramenti verba jurasti.

3 Sed hac posteriori significatione jam omissa, sciendum est, Sacramenti nomen propriè denotare signum, vel symbolum divinæ gratiæ: deinde latius vulgo sumi, pro signo & signato simul: vel tota actione, qua tum externa symbola, tum bona significata, Sacramentis utentibus dispensantur: Quamquam veteres alioqui sacramentum & rem sacramenti soliti sunt opponere, tanquam relata.

4 Notum enim & pervulgatum est illud Irenæi: Sacramentum constare duabus rebus: Re terrena & re cœlesti: lib. 4. contra hæres. cap. 34. sic loquitur de Eucharistia. Quod alij Patres his verbis expresserunt: Esse in sacramento rem sensibilem, & intelligibilem: mysterium significans, & rem in mysterio significatam: speciem externam, & gratiam internā: formam visibilē, & gratiam invisibilem: speciem corporalē, & virtutē spiritualē: figurā & veritatē, vel, (quod simplicissime dicimus) signum & signatū. Neq; discrepat quod ab aliis dicitur, sacramentum constare Elemento & verbo: quia hoc verbum tum mandatum de signo siue elemento divinitus instituto ac ordinato, ut sit sacramentum: tum promissionem gratiæ, & rerum significatarum continet: ideoq; forma est a sacramenti: secundum il-

lud

Iud Augustini: Accedat Verbum ad elementum, & fit sacramentum. Tr. 80. in Iohan.

5 Itaque veteres sacramentum definiuerunt signum visibile gratiæ invisibilis: Item: signaculum rerum diuinarum: Et Augustinus: verbum visibile. Alibi sic: sacramenta sunt signa rerum aliud existentia, aliud significantia; cont. Maximin. lib. 3. cap. 22.

6 Nos è scripturâ sic definimus: sacramenta sunt signa fœderis inter Deum & fideles: vel, sunt sigilla iustitiæ fidei, hoc est, sunt ritus, vel ceremoniæ diuinitus institutæ, vt promissionem gratiæ confirmet omnibus legitimè sacramenta vsurpantibus.

7 Ac per signa rectè defini sacramenta, docuit ipse DEVS: Gen. 17. v. 11. Circumcisio est signum: & Apostolus Rom. 4. v. 11. declarat, vocans eam σημεῖον. Exod. 12. v. 13. Pesah erit vobis signum. Exod. 3. v. 17. Ezech. 20. v. 12. Sabbatha dedi in signa.

8 Signum autem est id, per quod mens aliud intelligit, quàm ipsum est. Nec accipitur de solo elemento, vt aquâ in baptismo: pane & vino in cœna: sed de ritibus quoq; , qui in actione, vel administratione sacramenti adhibentur: cum ij potissimùm aliud nobis significant, & in cogitationem venire faciant: vt aspersio aquæ in baptismo: fractio, præbitio, manducatio panis in cœnâ, &c.

9 Inepta igitur est argutatio quorundam: Sacramenta sunt actiones, Ergo non rectè signa definiuntur. Quasi verò ceremoniæ visibiles, actionesq; solennes in sacro DEI cultu pleræq; non sint significationis causâ institutæ, receptæ, ac vsurpatæ.

10 Sunt autem sacramenta signa diuina, ordinaria, totique Ecclesiæ instituta & mandata: neq; solum σημεῖον-
δικὰ, id est, significatiua rerum, vel præteritarum, siue
μνημονικὰ, nobis in memoriam bona præstita revocantia:
vt cœna Domini, passionis Christi; vel futurarum, siue
bonorum percipiendorum προγνωστικὰ: vt resurrectionis
nostræ: vel præsentium, tanquam typi, & picturæ, qua-
dam similitudine, vel analogiâ repræsentantia & oculis su-
biciencia res mysticas & spiritualia Dei beneficia: sed etiam
signa exhibitiva, quia σφραγίδες, sigilla, pignora, obsignan-
tia c

tia & confirmantia, deniq; etiam applicantia singulis in usu legitimo sacramentorum res promissas, & signis visibilibus representatas: nempe gratiam fœderis, adoptionis, & reconciliationis per & propter Christum, quem cum omnibus suis beneficiis, credentibus & resipiscentibus donat.

11 Hic enim principalis finis est sacramentorum, ut tanquam appendices promissionis Euangelij, & verba visibilia, sint testimonia, sigilla & pignora gratiæ Dei singularis, vniuersis & singulis confœderatis sive credentibus exhibitæ & applicatæ. Deinde accedunt alij fines, ut quod nos obstringunt ad obedientiam erga Deum, & veram conversionem. quod distinguunt Ecclesiam ab aliis sectis: quod oculis subiiciunt, conseruant & propagant veram doctrinam: quod denique vincula sunt publicorum congressuum, & mutuæ dilectionis.

12 Ac signa quidem pro temporum & significandi opportunitate variata sunt: res verò cœlestis & significata, vna & eadem est in omnibus sacramentis, nempe Christus, & eius salvifica κοινωνία, sive communio, quam Deus omnibus electis promisit, & largitur, ac visibilibus Symbolis testificatur. / Vna enim fides est, quæ omnes salvos facit; ad cuius vnitatem concordissimè recurrentia fuere signa diuersa, inquit Augustinus Epist. 157. & de peccat: merit. & remis. lib. 2. cap. 29. & tract. 26. & 45. in Iohann. Et in Psal. 77: In signis diuersis eadem fides, ut in verbis diuersis. Fide eadem, signa variata: Sed in re, quæ significatur, paria sunt. Apostolum audi, Eandem escam spiritualement ederunt, quam nos: quia idem ipse Christus, &c. Eundem potum spiritualement, Christum, biberunt: Et contra Faustum lib. 19. cap. 16. Magno errore delirare dicit eos, qui putent, sacramentis mutatis, etiam res esse diuersas.

13 Signis autem res coniunctæ sunt vnione, quam vocant vulgo Sacramentalem, licet minùs appositè dicatur vnio: cum signa nunquam vnum fiant cum rebus

rebus signatis : & homini pio Christus se vniat, & gratiosa *παρουσία* præsens sit, non elemento. Quia in habitat per fidem in cordibus suorum. Eph. 3. 17.

14 Quamobrem vniō Sacramentalis non est substantialis mutatio, vel conuersio signorum in res. Talis enim *μετέστω* in nullo fit Sacramento: nec in cœna quidem: vbi signum in ipsâ actione, panis nomen, & propria retinet. Imò tolleret illa mutatio alteram partem sacramenti, nempe rem terrenam: quâ sublatâ, non potest vniō vel fingi.

15 Nec est occultatio, delitescencia, vel subsistentia rerum in signis; quum in nullo Sacramento talis assistentia, vel inclusio, vel consubstantiatio facta legatur, nec magis in cœnâ, quàm in verbo fieri necesse sit: Neque Deus signis infuderit vim quandam physicam, aut *δύναμιν* sive facultatem salvandi, iustificandi, sanctificandi: sed omnis eorum efficacia à solo Deo, tanquam autore, dependeat, qui mediis his fidem Electorum excitare, & stabilire, communionemque Christi magis magisque confirmare & obfirmare constituit: Nec denique vlli saniores Theologi, ne scholasticis quidem sive Pontificiis exceptis, sacramenta putarint esse veluti pixides, vehicula, aut latibula rerum cœlestium, sed contrarium statuerint. Bonaventura certè in libr. 4. Sentent. dist. 1. quæst. 3. ita scribit: Sicut ostensum est per plures rationes, non est aliquomodo dicendum, quòd gratia contineatur in ipsis sacramentis essentialiter; tanquam aqua in vase, vel medicina in pixide. Imò hoc intelligere est erroneum. Sed dicuntur continere gratiam, quia ipsam significant, & quia, nisi sit defectus ex parte suscipientis, in ipsis gratia semper confertur, et ita intelligendo, quòd gratia sit in anima, non in signis visibilibus. Hæc ille.

16 Itaq; quæ dicitur vniō Sacramentalis, nihil est aliud nisi mystica, relatiua & pactionalis, rerum spiritualium & cœlestiū cum externis sacramentis siue symbolis copulatio, cohaeren-

coherentia, seu coniunctio, quâ per analogiam res signis repræsentantur, & intellectui sistuntur, ac fideli menti obgnantur, & communicantur à Deo. Quod probatur tum ex natura, tum exemplis omnium sacramentorum.

16 Hinc variae de sacramentis loquendi formæ resultant. Sunt enim aliæ phrasæ propriæ, vt in quibus signo tribuitur, quod signi est; aut rei significatæ, quod ei propriè competit; aut legitimo vsui promissio gratiæ annectitur: vt, circumcisio est signum & sigillum: Sanguis Christi purgat nos à peccato; Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluabitur.

Aliæ sunt figuratæ, in quibus signorum & signatorum nomina, vel propria, effectiue permutantur. Enalagen nominū appellavit Theodoretus dialogo. 1. Fit enim plerunque, vt signa rerum ipsarum nomina accipiant, ait August. n. Ep. 23. ad Bonif. In Leuit. q. 57. ad Dulciti. quæst. 6. Harum phrasium species sunt hæ: 1. Cùm rei nomen de signo; vel *ἀπὸ τοῦ φωνῆ* signi nomen de re prædicatur 2. Cùm effectus proprius rei tribuitur signo, vel *ἀπὸ ἀπαλλί* propria signorum, rei assignantur: Exempli causâ: Circumcisio est pactum æternum, vel foedus: Panis est corpus Christi: Christus est agnus paschalis: Baptismus abluit peccata: Corpus Christi frangitur: & similia.

17 Atque harum prædicationum omnium hic est scopus & sensus: signis repræsentari, offerri, obsignari & conferri ac exhiberi res signatas, sed in vsu legitimo. ideoque nec in externis signis hærendum, aut ea pro rebus habenda: quæ miserabilis est animarum seruitus; nec signa tamen fastidienda, sed religiosè sumenda esse.

18 Vsus legitimus est, cùm pij sive fideles & resipiscentes, sacramentis eo modo & fine vtuntur, quo & ad quem instituta sunt: extra quem vsum non habent signa rationem sacramenti, eoque nec impij rebus signatis fruuntur, etsi symbola percipiant. Quia verus & à Deo institutus vsus non est sine fide, & conuersione.

19 Itaque non admittere possumus aduersariorum hypothesen *ἀναδέχτες*: Sacramenta conferunt gratiam & salutem ex opere operato: sacramentis est affixa & alligata salus, regeneratio, justificatio: Noui Testamenti sacramenta sunt

sunt exhibitiva; Veteris fuere tātum significatiua: iam dantur aliæ res signatæ, quàm olim; & diuersæ, quàm in verbis; & aliæ in aliis sacramentis; & eæ quidem semper vnà cum signis ab externo ministro, & omnibus etiam sine fide sacramentis vtentibus: ac si qua sunt his affinia *ψευδοζεφυματα.*

20 Duo agnoscimus Noui Testamenti sacramenta, Baptismum & Cœnam: illum regenerationis, hanc alimoniam & sustētationis spiritualis symbolum: Non plura. Nec enim illis quinque Pontificiis sacramentis, Confirmationi, Ordini, Pœnitentiæ, Coniugio, Extremæ vnctioni, definitio veri sacramēti competit: cū vel non sint ritus, nedum à Deo præcepti, vel non adiunctam habeant promissionem gratiæ, de qua hic agitur.

DE BAPTISMO.

I.

Baptismus est sacramentum initiationis & insitionis in Christum, quo testatur & obsignat fidelibus, in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti aquâ baptizatis, ablutionem internam per sanguinem & spiritum: eos nempe recipi à Deo in fœdus gratiæ, mundari sanguine Christi à peccatis, & regenerari à Spiritu Sancto ad vitam æternam.

2 Duplicem in Baptismo ablutionem esse, externam aquæ, & internam spiritus; & illam quidem foris in corpore à ministro externo: hanc verò intus in animâ à Deo ipso fieri, patet, tum ex sacramentorum naturâ, quæ duabus partibus seu rebus, terrena & cœlesti, constant; tum ex illa clarissima distinctione Iohannis Baptistæ; Ego quidem baptizo aquâ: sed qui post me venit, baptizabit spiritu sancto & igne. Matth. 3. v. 11. Ex hoc dicto discimus, ait Hieron. in commen. Iesaiæ 4. quod homo tantum aquam tribuat, Deus autem Spiritum sanctū, quo sordes abluuntur & sanguinis peccata purgantur.

3 Externum symbolum, ablutio nempe, vel aspersio, quæ fit aquâ, confirmat fideles baptizatos de re significata, nempe interna ablutione, quæ fit per sanguinem Christi & Spiritum

E

Spiritus

Spiritum sanctum, id est, de summis duobus beneficijs, iustificationis, & sanctificationis & renouationis: idque ex vi promissionis, quam in Nouo Testamēto tam propriè quàm figuratè legimus expressam, & ritui baptismi annexam; vt, **Qui crediderit & baptizatus fuerit, seruabitur.** Baptizare & ablue peccata. Baptismus est lauacrum regenerationis: & nos saluos facit. Marc. 16. 16. Act. 22. 16. Tit. 3. v. 5. 1. Pet. 3. 21.

4 Nec enim aquæ baptismi vis occulta & ἐνέπρεια quædam diuina lauandi à peccatis, & animas purgandi, indita vel impressa est; nec omnes, quotquot aquâ tinguntur, propterea etiam intus abluuntur sanguine & spiritu Christi: sed externus aquæ baptismus, est sacramētum, signaculum & pignus diuinum interni baptismi spiritus: qui per signum analogia conuenienti repræsentatur, credentibus obsignatur, & exhibetur iis in vsu legitimo. / Aug. in Epist. Iohann. tract. 6. Aliud est aqua sacramenti, aliud est aqua spiritus Dei. Aqua sacramenti visibilis est: aqua spiritus inuisibilis est. Illa abluit corpus, & significat quod fit in anima: per illum spiritum ipsa anima mundatur. Et in Iohan. tract. 80. Cur non dixit Dominus; mundi estis propter baptismum, quo ablu-ti estis, sed propter verbum, quod loquutus sum vobis; nisi quia in aqua verbum mundat. Detrahe verbum, & quid est aqua nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum, etiam ipsum visibile verbū. Vnde tanta vis aquæ, vt corpus tingat & cor abluat? nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur.

5 Et sanè in baptismo Christum induimus, vt ait Apostolus Gal. 3. 27. quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis; sed nos fideles, non infideles, nec hypocritæ. Nec enim temerè adiecit istud, in Christo, sed vt legitimū baptismum à profanatione eius discerneret. Quod dudum obseruauit etiam Hieronymus in istum locum: Si quis (inquit) hoc corporeum & quod oculis carnis aspicitur, aquæ tantum accipit lauacrum, non est indutus Dominum Iesum &c. Idem in Ezech. c. 16. In Ecclesia qui non plena fide accipiunt baptismum, non spiritum sanctum, sed aquam accipiunt. Aug. l. 4. quæst. in Numer. Non prodest baptismus, si desit fides. Et lib 1. cap. 12. & lib 4. cap. 24. contra Donatistas

tistas præfert Catechumenum credentem baptizato sine fide. Melior est, inquit, Cornelius nondum baptizatus Simone Mago baptizato. Iste enim & ante baptismum spiritu sancto repletus est, ille post baptismum spiritu immundo inflatus. Cyprian. Quantum fidei capaces afferimus, tantum gratiæ haurimus. vide libr. 2. epist. 2. ad Iubaianum.

Et in Levitic. q. 48. Invisibilis sanctificatio sine visibili signo esse potest: & rursus visibile signum sine verâ sanctificatione. Cyprian, &c.

6 Itaque non assentiri possumus ijs, qui scribunt, aquæ Baptismi, vim occultam abluendi peccata, justificandi, regenerandi inesse, & gratiam Spiritus Sancti nexu individuo cohærere; sic, ut quilibet aquâ tincti etiam intus sanguine & spiritu baptizentur: & Baptismum conferre salutem & omnes regenerare: nec ijs, qui ministris & signis externis actionem efficaciam ve Spiritus sancti tribuunt: qui liberos sanctorum æquiparant infantibus gentilium à fœdere alienorum: qui Baptismi necessitatem absolutam fingunt: ideoque gynæcobaptismum magno conatu defendunt: qui ritus humanos & ab institutione Christi abhorrentes, Baptismo assuunt: multò verò minus ijs, qui pædobaptismum sublatum cupiunt.

DE COENA DOMINI.

I.

COENAM Domini, alterum sacramentum, nostræ scilicet nutritionis, seu alimonix spiritualis, & mansionis cum Christo, definimus cum Apostolo 1. Cor. 10. universis corporis & sanguinis Christi. Plenius sic: Est actio sacra, in qua fit distributio panis & vini in cōgregatione fidelium ad recordationem Christi, ab ipso instituta, ut hoc signo testetur, se credentibus corpus & sanguinem suum, pro nobis traditum & fustum, communicare, & animas eorum pascere ad vitam æternam: Deinde ut solennes gratias pro redemptione nostri Christo agamus.

2 Duplex in ea cibus & potus nobis exhibetur, Vnus externus & terrenus, panis & vinum: alter internus & cœlestis, corpus & sanguis Christi. Sicut autem hæc distincta

E 2 sunt:

sunt: tanquam signum & signatū: sic & manducatio & modus percipiendi distinguenda: signi fit ore; signati, fide: illud minister cui libet communicanti; hoc Dominus præbet legitime cœnam vsurpanti.

3 Manducare carnem Christi est credere in Christum, quod pro nobis corpus suum tradiderit in mortē, & sanguinem fuderit, & hac fide remissionem peccatorum accipere, & per spiritum sanctum ipsi vniri, ac eius membrum fieri, vt ab eo tanquam capite, iustitiam & vitam æternam hauriamus, eique conformemur.

4 Firmissimè credimus ac tenemus veracissima Christi verba: Hoc est corpus meum: Et ea secundum ipsius Domini mentem, ex institutione cœnæ, ex scripturæ locis homogeneis, ex articulorum fidei & sacramentorum omnium *εὐαλογία*, imò etiam ex vetustissimorum Ecclesiæ doctorum sententiâ, rectè sic intelligimus & exponimus, quod panis & vinum sint symbola, non inania, sed efficacia, communionis corporis & sanguinis Christi pro nobis traditi, & fusi ad remissionem peccatorum, quibus verâ fide perceptis, ad vitam æternam pascimur.

5 Liquet hinc vanitas calumniarum: nos à cœna corpus & sanguinem Christi excludere: nuda signa & præsentiam imaginariam, h. e. spiritus seu deitatis tantum ponere: testamentum Christi peruertere: omnipotentiam & veritatē inficiari, altarumq; quibus aures & animos imperitorum adhuc implere, licet millies refutatis, aliqui haud erubescunt.

6 Subdole hi statum controuersie declinant ac peruertunt, cuius ignoratio controuersie Eucharisticæ, & huius diuturnitatis potissima causa fuit. Pro bent, quæ sumunt & sibi credi postulant *εἰρηματα*: naturale & essenziale corpus Christi realiter in vel sub pane latere, manu ministri porrigi, oraliter manducari, ab infidelibus etiam, ad condemnationem.

7 Corporalis istius præsentie & manducationis opinio, sicut ex Papatu hausta est: ita neruū præcipuum idololatriæ pontificiæ, arrolatriæ dico in sacrificio Missæ, confirmat. Nos verò, vt à Missatico sacrificio, sic à *προσώσει* & *μετρώσει*, parum distantibus, merito abhorremus.

8 Blasphemum enim est dogma pontificium, quod in Missa offeratur verum, reale, & propriè dictum sacrificium veri corporis & sanguinis Christi, idque propitiatorium pro peccatis & pro culpis, ac impetratorium beneficiorum spiritualium & corporalium. Concil. Triden. sess. 22. Can. 1. 2. 3. Bellarmin. lib. 1. & 2. de Missa.

9 Totum istud negamus: Ac primo quidem, Missam, in quam sacramentum coenae pessimè transformarunt, esse sacrificium reale. Rationes nostrae sunt evidentes: quia Christus sacramentum instituit, quod formâ differt à sacrificio: quia solus est sacerdos: quia aeternus: quia semel seipsum obtulit in cruce, non in coena: quia coenam ipsi dicunt esse testamentum. At in testamento non hæres testatori, sed testator hæredi sua bona legat & offert: quia denique testamentum non est ratum nisi morte testatoris interueniente: Et Iesuitæ (vt Bellar. lib. 1. de Missa c. 25.) fatentur, Christum nõ mori propriè in Missa, sed in signo, sed representari mortem Christi: Concludimus igitur: Missam non esse propriè dictum & reale sacrificium.

10 Patres quidem coenam Domini sæpè nominant sacrificium, sed hoc sensu & ob has causas: quia Coena Domini est *anàmnosis*, recordatio & memoria veri sacrificij Christi: quia est sacrificium laudis & gratiarum actionis: quia panis & vinum offerebantur olim & consecrabantur ad usum coenae: quia singuli fideles, & tota Ecclesia, se in coena Deo sistit & offert hostiam viam, rationalem & sanctam: quia oblationes & collectæ, sacrificia bonæ fragrantiae; vt vocantur Phil. 4. 18. pauperibus fiebant: quia denique effectus sacrificij Christi participes sumus, & intus mysticè nostræ animæ sanguine ipsius asperguntur & reficiuntur. Liqueat hoc ex variis locis veterum doctorum, vt August. de civit. Dei, l. 10. c. 5. 6. 19. 20. de fide c. 19. cont. Faust. l. 20. c. 16. 24. Crysostr. hom. 17. in Heb. Theod. in Heb. Theophyl. in Heb. 10.

11 Deinde insigni contumelia Christum afficiunt, qui aliud sacrificium propitiatorium introducunt. Nam ipse solus semetipsum sanctissimam & perfectissimam hostiam in odorem bonæ fragrantiae Deo patri ad nos reconciliandos obtulit: quâ unicâ oblatione semel in æternum consecrauit omnes Electos: factus consummatus auctor salutis

E 3 æternæ

æternæ: nec alius nisi Christus, tale sacrificium offerre potuit: quia sacerdotem hunc Deum esse oportuit, & suo sacrificio vim & dignitatem conciliare. Nam ex persona placet sacrificium, non ex sacrificio persona. Gal. 1. 4. Ephes. 5. 2. Heb. 5. 6. 7. 8. 9. 10.

12 Denique cum per solum hunc pontificem magnum habeamus aditum ad patrem, & thronum gratiæ, vt consequamur misericordiam, & gratiam inueniamus: idololatria manifesta est, Missæ vim impetrandæ gratiæ, & bonorum spiritualium ac corporalium assignare. Ephes. 2. 18. Hebr. 4. 14. 16.

13 Sed alia plurima quoque sunt in Missâ Papanâ minime ferenda, vel probanda; vt dogmata de consecratione, cuius tâta virtus sit, vt sacerdos corpus Christi è cœlo quinque verbis in panem elicere, & suis manibus tenere, ac pro lubitu tractare possit: de transubstantiatione, id est, mutatione substantiæ elementorum panis & vini in essentialem & realem carnem & sanguinem Christi, speciebus remanentibus, & accidentibus sine subiecto consistentibus: de oblatione pro mortuis: de inclusione, circumgestatione, & adoratione sacramenti: de concomitantia sanguinis & corporis: de mutilatione secuta, poculi subtractione, siue calicis prohibitione, laicis, quos vocant, facta: ne iam dicamus de mira metamorphosi totius sacræ actionis à Christo mandatæ in theatricam, & mutum spectaculum: quod ceremoniis diuinis, ritus humanos, toto genere diuersos, ludicos & histrionicos, atque à Pontificibus multis impiè confutos centones substituerunt; quòd in Missâ non est communicatio, sed potius excommunicatio, cum solus sacrificulus cœnet, siue ientetur, & murmure tacito, atque idiomate peregrino, sua peragat mysteria; populum autem ieiunum, & ignarum, otiosumque spectatorem, dimittat: quòd is non pane, sed hostiis, quas vocant, rotundis & nummulariis, imagine crucis pictis, vritur, nec vino mero, sed aquâ diluto, & ex necessariis scilicet Papæ legibus mixto: quòd ea non porrigit, sed eleuat & ostentat eminus: quòd martyres & sanctos defunctos inuocat, vt hi quoque suis meritis patrocinentur ac impetrent Dei gratiam & prote-

protectionem astantibus, imò & absentibus, imò & mortuis: quòd Christi verba mutat, addendo Enim; Hoc est enim corpus meum: ac alia quædam: & omittendo illa maximè necessaria: Quod pro vobis datur. Denique plura eiusmodi, divinæ institutioni planè contraria, piis justam causam dederunt missam missam faciendi.

14 Cùm ad legitimum Eucharistias vsum probatio sui ipsius, eoque vera fides, pœnitentia, & nova obedientia, peculiariter à quolibet communicaturo exigatur & requiratur: ac res sacramenti nulli ad exitium, sed omnibus eam percipientibus ad salutem detur: aperte liquet, erroneam quoque esse illorum opinionem, qui non tantùm signa, sed etiam res signatas, nempe corpus & sanguinem Christi, ab incredulis, impijs & hypocritis, realiter, & quidem ad iudicium seu condemnationem, comedi volunt.

Et de secunda quidem parte hætenus.

P A R S III.

DE OFFICIO NOSTRO.

I.

SEquitur caput vltimum veræ religionis, de gratitudine erga redemptorem, vel de obedientiâ fidei, & verâ conversione ad Deum: cuius necessitatem hodie cumprimis urgemus & inculcamus; quum multi gratiam Christi transferant in lasciviam, & libertatem Christianam in licentiam commutent: vt queritur in epistola B. Iudas versic. 4.

2 Conversio est mutatio mentis & voluntatis à Spiritu sancto effecta, quâ peccator dolet ob commissas iniquitates, easque odit & fugit; ac confugit ad Dei gratiam in Christo fide apprehenso, eique debitam obedientiam, ac bona opera, tanquam fructus pœnitentiæ, præstare seriò studet.

3 Plenus & planus est nomen conversionis vel μετανοίας, siue resipiscentiæ; quàm pœnitentiæ, siue μεταμέτεις, quæ

quæ tantum displicentiam facti denotat: Et longè melior partitio nostra in mortificationem veteris, & viuificationem noui hominis: quàm illa pontificiorum, in cordis contritionem, oris confessionem, & operis satisfactionem.

4 Cui doctrinæ graues admiscet iisdem errores: vt, quòd contritio sit causa remissionis peccatorum: quòd etiam attritio, id est, dolor imperfectus, utilis sit ad promerendam gratiam: quòd confessio auricularis, id est, omnium peccatorum coram proprio sacerdote, sit necessaria iure diuino: quòd remissa culpâ, sæpe remaneat pœna: quòd æternæ pœnæ mutantur potestate clauium in temporales: quòd hæ temporales pœnæ redimantur operibus satisfactoriis, qualia sint elemosinæ, ieiunia, orationes, peregrinationes, afflictiones corporis molestæ, &c. quòd Deo quoque satisfiat pro reatu: quòd iisdem satisfactionibus animæ liberentur à pœnis purgatorij: quòd hæ pœnæ relaxentur per indulgentias, &c. Concil. Trid. sess. 14. c. 8. 9. Bellarminus Tom. 2. Con. 4. lib. 2. de pœnit. cap. 10. &c.

5 Bona opera (conuersionis effectus) sunt ea, quæ à renatis, ex præscripto verbi Dei, viuâque fide, & puro corde, fiunt ad Dei gloriam.

6 Excluduntur igitur opera non renatorum, Infidelium, hypocritarum; ac bonæ intentionis, quæ vocant, & omnes *ἡεροθρησκείαι*, id est, cultus ab hominibus confecti: licet horum iudicio valde boni sint, aut saltem videantur.

7 Bona opera Renatorum, licet in hac vita minimè perfecta sint, sed plurimis næuis inquinata: tamen Deo placent, & ab eo coronantur, non ob vllam ipsorum dignitatē, aut meritum, sed quia sunt ipsius dona; non virium nostrarum, sed spiritus sancti effecta; & quia defectus eorum Christi iustitiâ, merito & satisfactione teguntur.

8 Et quanquam non sunt meritoria vitæ æternæ: tamē omnino & necessariò faciendâ sunt plurimis de causis, quæ partim Deum, partim nos ipsos, partim proximos respiciunt.

9 Nam Deus ea nobis seriò mandat. Mandato igitur obediamus, his celebratur & glorificatur Deus. Gloriam igitur

igitur eius promoueamus. Hoc fine nos redemit, imò & condidit, vt in bonis operibus ambularem; Imò & elegit in Christo, vt essemus sancti & inculpati: Eum igitur finem impleamus. Odit omnem iniquitatem, probat autem & diligit iustitiam. Eius autem placita nobis sunt & esse debent summum imperium & necessitas. Sunt deniq; tanta illius in nos merita, vt summis etiam officiis sat dignam gratitudinem testari nunquam possimus.

10 Deinde nobis etiam bona opera sunt necessaria, tanquam salutis nostræ *τεκμήρια*, & testimonia fidei non fictæ, ac conscientia bonæ: quæ nos certos reddunt de vocatione, justificatione & electione nostra, ac glorificatione futura: tum quia vera fides non exerit se solum per fructus suos & caritatem: sed ipsæ etiam exercetur & augetur: vt omnes virtutes morales crescunt exercitatione crebra. Tale autem incrementum nobis vtilissimum, adeoque necessarium est: tum quia nos oportet Satanæ resistere: neq; spiritum sanctum peccatis contristare, sed virtutibus exhilarare, eoque & corda nostra gaudio vero recreare: tandem vt omnis generis benedictiones assequamur, & contra pœnas temporarias & æternas evitemus.

11 Denique ad proximorum ædificationem, veræ religionis, omnis iustitiæ & sanctitatis propagationem plurimum valent exempla bona; sicut contra scandala salutis aliorum ac promotioni veræ doctrinæ & regni Christi imprimis officiant. Ab his igitur omnino cavendum, illis studendum esse, magnâ contentione clamamus, & contra profanos, Epicureos, & Libertinos vrgemus.

12. Bonorum operum norma est lex Dei moralis, Decalogo comprehensa. Hæc enim est illa doctrina, quæ congruit æternæ Dei sapientiæ & iustitiæ, & omnibus hominibus iustè coram Deo vivendi rationem præscribit: eosque ad obedientiam sub comminatione pœnarum æternarum obligat.

13 Licet enim in novo Testamento liberi simus & immunes à ceremonialibus & forensibus statutis, olim à Deo per Moysen traditis: quorum hæc ad politiam Israelis bene constituendam, illa ad Leviticum cultum ritè peragendum spectabant: (quia nimirum solis Iudæis vsque ad Messiam

lata & imperata fuerant): tamen Ethica sive moralia præcepta nos etiam obstringunt, haud minus, ac priscos Israelitas: tum quia legi naturæ, (quæ lex humanæ menti primitus insculpta, postea per lapsum obscurata, sed in decalogo renovata fuit) planè consentiunt; tum quia à nostro Rege Christo confirmata & inculcata sunt.

14 Decalogus in duas tabulas dividitur; prout ab ipso Deo in duas has tabulas, ceu summa duo capita, relatus & inscriptus est. Exod. 34. 4. Deut. 4. 13. quarum prior Dei cultum, posterior officia erga proximum tradit: Et illa quatuor mandatis; hæc lex reliquis continetur. Rectior enim est divisio hæc, quam altera illa Papistica, quæ tria duntaxat in priorè tabulam refert, omisso simulacrorum interdicto: & in posteriorem septem congerit, prohibitionem concupiscentiæ in duo præcepta, nonum & decimum, discernens.

15 Ridiculè quidam huius ætatis doctores nostram partitionem dicunt novam: cum autoritate Mosis & Pauli: deinde disertissimis suffragiis vetustissimorum authorum, tam Hebræorum quam Christianorum, nitatur.

16 Nam Moses duo prima distinxit versibus, & perior dis: sicut ipso sensu quoque distincta sunt. Primum enim vnus Dei cultum, alterum colendi modum præscribit. Sic etiam Exod. 34. 14. 17. discernit hæc: ne incurves te Deo alieno, & post: ne facito Deos fusiles. Similiter Deut. 4. 16. 19. Necolite solem; & ne facite sculptile: vbi distinguit prohibitionem imaginum, & adorationis siderum: secundum duas species idololatriæ: quarum vna fictitium Deum colit: altera verum quidem Deum, intentione sua: sed fictitio cultu. Quod discrimen etiam Thomas (cui tamen illa per vulgata mutilatio decalogi propemodum ascribenda videtur) agnoscit, in 2a 2æ quæst. 122. art. 2. Cultus alienorum Deorum (inquit) dupliciter obseruabatur. Quidam enim quasdam creaturas pro dijs colebant absque institutione imaginum, vt Varro dicit de antiquis Romanis: & hic cultus prohibetur primo: Non habebis Deos alienos. Apud alios autem erat cultus falsorum Deorum sub quibusdam imaginibus: & idè oportunè prohibetur & ipsarum imaginum institutio: Non facies tibi sculptile,

Postre-

Postremum autem de non concupiscenda proximi domo & vxore, vna periodo, versu & sensu coniunxit Moses; imò etiam transposuit. Dicant igitur illi, quod sit nonum præceptum, si velint, esse hoc. Ne concupiscas domum proximi: Tum ijs opponimus Mosen in Deut. cap. 5. præponentem, vxorem ne concupiscas. Sin hoc malint dicere nonum: iterum à Mose revincuntur, qui istud in Exod. c. 20. postposuit: Quæ metathesis indubitatum argumentum est, Mosi, imò Spiritui Sancto, vnum & idem fuisse præceptum: non duo diversa. D. Paulus verò totā rem vno verbo complexus, Ne concupiscas, controuersia decidit. Alioqui tot præcepta numeranda forent, quot objecta concupiscentiæ, vel species, numerantur. Nec igitur illi decimum in duo dirimant, nec alterum de sculptilibus expungant.

17 Stant etiam pro nobis summi quique & omni exceptione maiores testes, quorum autoritates aliquot in gratiam studiosæ iuventutis ascribemus.

Philo doctissimus & eloquentissimus ille Plato Hebræorum, in libro de hærede divinorum dicit, primum præceptum opponi multitudini Deorum, & docere, quòd *μοναρχεῖται ὁ θεός*. Secundum verò esse *ὅτι τοῦ μὴ θεοπλασείν τὰ μὴ ἀπὸ γραφῶν καὶ πλάσων ἐπιβόλοις τέχναις, ἃς Μωσῆς ἐξήλασε τῆς καθ' αὐτὸν πολιτείας, εἰδὼν φυγῶν ἐπ' αὐτοῖς ψήφω ποιησάμενον, ἵνα ὁ μόνος καὶ πρὸς ἀλήθειαν ζεῖται θεός*. Tertium esse de nomine Dei, &c. Idem in lib. de decalogo pag. 513. bibliotheca regia, editione Paris repetit: & alibi etiam inculcat secundum esse *ὅτι τῶν ἀγαλλμάτων καὶ χειροκμητῶν, &c.*

Iosephus lib. 3. Antiquit. cap. 4. disertè dicit: Primum legis mandatum docet, Deum esse vnum, & hunc solum colendum; secundum, nullius animalis simulacrum adorandum: Tertium, non temeiè jurandum, &c. Nonum, ne dic falsum testimonium: Decimum, ne aliena bona concupisce. Sic ceteri quoque Hebræi.

Iam ex Christianis astipulantur nobis maximè authentici Doctores, tum græci, tum latini.

Origenes disertè tuetur nostram, & reprehendit aduersariorum divisionem. Homil. 8. in Exod. Si hæc (non

(non erunt tibi Dij alij; & non facies tibi idolum) inquit vnum mandatum putentur; non completur decem præceptorum numerus: & vbi erit decalogi veritas? & affirmat præceptum secundum esse, Ne fac idolum. Atque hoc ordine in illa homilia explicat.

Clemens Alexandrinus Stromatum, l. 6. pag. 290. 291. 292. Ponit quintum, de honore parentum; Decimum, de omnibus concupiscentiis tum animatorum, tum in-animatorum.

Ac obseruandum est, à βιβλιοφθόρῳ quodam locum Clementis mutilatum, ideoq; nihil esse, cur eum Pontificij, vel alij nobis opponant; quòd secundum præceptum dicat esse istud: Ne assumito nomen DEI in vanum. Nam aliud ipsum sensisse, nec alterum mandatum de sculptilibus omisisse, patet his duobus evidentibus argumentis: Primum, ex acerrimis ipsius disputationibus contra imagines, in quas adeò frequenter & grauitè inuehitur, vt ipsas etiam artes pingendi, fingendiq; nobis vetitas esse dicat: propterea quòd lege DEI mandetur: Ne facias vllius rei similitudinem. Vide paginas. 248. 285. 303. edit. Comel.

Deinde ex ipso numero & ordine decalogi ibidem à Clemente posito, Si enim secundum sit de nomine DEI non assumendo vanè, tertiumq; de Sabbatho sanctificando; quod fuerit quartum? Nam expressè subijcit hæc verba: Πέμπτος ἐξ ἧς ἐστὶ λόγος, περὶ πμῆς πατρὸς, &c. Vt igitur series decalogi consistat, restituenda est lex altera περὶ τῶν ἀγαλμάτων.

Athanasius in synopsis lib. 2. vel Exodi, sic habet, δέκα ἐντολάς; πρώτην: ἐγὼ εἰμι κύριος ὁ θεός σου. δευτέραν, & ποιήσεις σεαυτῷ εἶδωλον, & δεῦ παντὸς ὁμοίωμα. Et decimum, Non concupisces, quæcunq; proximi sunt.

Gregorius Nazianzenus octo hexametris expressit Decalogum, elegantibus & ἀξιολόγοις: quos haud pigeat referre.

Οὐ γνώση θεὸν ἄλλον, ἐπεὶ σέβας ὅν ἐνόση,

Οὐ σήσεις ἰδάλμα κενόν, καὶ ἄπνοον εἰκῶ.

Οὐποτε μαψιδίως μνήση μεγάλοιο θεοῖο.

Σέβεται πάντα φύλασσε μετέρστα καὶ σκιδέντα:

Ὅλβος,

Ὁ ἄλλοι, ἡ τὸ κεῖται φέρης χάριν, ἡ ἐπέριξε.
 Φύγειν ἀνδρὸς φόνος παλάμης αἰγῶ, ἀλλοτριῆς τε
 Εὐνῆς, κλεπτοσώλω τε κακῆ φρονα, μαρτυρεῖω τε
 Ψαδῆ, ἀλλ' ὅτε μὲν τε πόθον σπινθῆρα ἑάων.

Latinè sic sonant ad verbum:

Ne noris Deum alium, quia cultus solus unius est:
Ne statuas simulacrum vanum, & spiritus expertem.
Ne temerè memineris magni Dei. (imaginem
Sabbatha serva sublimia & umbrosa.
Beatus, si parentibus retuleris gratiam convenientem.
Fuge homicidæ manus scelus, alienique
Cribilis; Furtum malignum; testimoniumque
Falsum: alienorumq; desiderium, scintillam mortis.

Chrysoſtomus Tom. 2. expoſ. in Matth. hom. 49. pag. 1090. Primum mandatum legis (ait) eſt cognoscere unum Deum: ſecundum abſtinere ab idolis: tertium, non peierare: quartum, colere Sabbathum, &c. nonum, non dicere falſum testimonium: decimum, nullam rem proximi concupiſcere.

Hefychius in Leviticum cap. 26. diſtinguit hæc præcepta numero: Ne habe Deos alios: & ne fac idolum, vel ſculptile.

Zonaras Hiſtor. tomo. 1. pag. 24. expreſſe recitat, ut nos. Primum præceptum (inquit) unum eſſe Deum affirmat, cumque ſolum colendum. Secundum jubet, nullius animantis imaginem facere, neq; adorare, &c. Decimum; nil alieni concupiſcere.

Itidem Cedrenus in hiſtoriarum compendio pag. 61. Baſil. edit. Similiter Procopius.

Sic Suidas in πλάξιν nobis prorfus aſtipulatur, ita recensens, uti noſtra catecheſis: Non erunt tibi dij alij præter me. Non facies tibi ſimulacrum ullius rei effigiem eorum, quæ in cœlis ſupra, & in terra infra, &c.

Sic

Sic & Nicephorus Xantopulus carmine
jambico decalogum exposuit:

Ὁ πλάξι γράφεις ἐν δέκα λόγοις νόμῳ.
Κύριε εἰς Ἰσραὴλ θεὸς μόνῳ.
Εἰδωλον οὐδὲν ἐργάση τὸ πᾶν.
Οὐκ ἔσον δὲ λήψῃ τοῦ θεοῦ κλήσιν μάτῳ.
Μνεῖαν δὲ ποίει τῶν σαββάτων ἡμέρας.
Σὸν πατέρα τίμα τε, καὶ τὴν μητέρα.
Ταῦτα μία πλάξι. ἡ δὲ θάτερα πάλιν.
Ἡκιστα μοιχίδιον ἐργάση γάμον.
Ἄλλ' οὐδὲ κλέψεις ἐμφανῶς, κεκρυμμένως.
Οὐδ' ἂν φονδίσεις ἐκ θυμοῦ σου τὸν πῆλας.
Υβδῆ τε μακρὰν ἀπὸ θου μαρτυρίαν.
Μηδ' ἀγαπήσεις εἰ π τῷ πῆλας φίλον.
Τούτους θεὸς χάραξεν ἐν πλάξι νόμους.

Latinè versus hi sonant ita.

Lex tabulis scripta decem verbis.
Dominus unus est Israël DEVS solus.
Idolum nullum conficies omninò.
Nec sumes DEI nomen in vanum.
Memoriam celebra diei Sabbatorum.
Patrem honora tuum, atq; matrem.
Hæc una tabula est: altera deinceps.
Minimè nuptias adulterio inquinatio.
Sed nec fureris palam, clandestinè.
Nec occidas excandescens irâ propinquum tuum.
Falsumq; longè amoue testimonium.
Nec concupiscas, si quid propinquo carum.
Has tabulis insculpsit DEVS leges.

Inter

Inter Latinos patres Ambrosius & Hieronymus in commentariis epistolæ ad Eph. c. 6. nobis planè favent. Quatuor præcepta ponunt in prima tabula, & secundum, Ne facias sculptile: sed primum in secunda tabula, quintum, de honorandis parentibus. Ambrosij verba sunt hæc:

Quomodo hoc primum mandatum dixit, cum constet, primum mandatum ita contineri? Non sint tibi alij Dij præter me. Deinde; non facies tibi similitudinem ullam, quæ sunt in cælo sursum, & in terrâ deorsum. Tertium: Non sumes nomen DOMINI Dei tui in vanum. Quartum: observabis, inquit, Sabbatha mea. Quintum autem: Honora patrem, & matrem; & cætera.

Sed, quia prima quatuor mandata ad Deum pertinent, hæc in primâ tabulâ contineri subintelliguntur. Cætera ad hominum, vt honoret parentes, non occidat, non fornicetur, non furetur, non falsum testimonium dicat, neque quicquam proximi sui concupiscat. Hæc sex mandata in secundâ tabulâ videntur scripta, quorum primum est: Honora patrem & matrem. Hac causâ ergò dixit: quod est mandatum primum in promissione; vt discerneret inter mandata, quæ ad Deum; & inter ea, quæ ad hominem pertinent.

Augustinus etiam Tom. 4. in quæst. V. & N. Testam. quæst. 7. nostram sententiam approbans, quatuor in primâ tabulâ, sex in secundâ collocat. Decem verba, inquit, decem sensus sunt. Ne sint tibi dij alij præter me: Hoc primum est: & subiecit secundum: Ne fac tibi vllam similitudinem, &c. Tertium, ne sumas nomen Dei in vanum, &c. Dehinc quarto loco, Sabbathum servabis. Hæc quatuor verba ad Deum proprie pertinent, in primâ tabulâ scripta. Deinde secunda tabula continet hæc: Honora patrem &c. 2. ne occidas 3. ne forniceris. 4. ne fureris. 5. ne falsum testimonium dicas. 6. ne concupiscas quidquam proximi tui. Hæc esse secundæ tabulæ, probat Apostolus Ephes. 6. dicens illud, Honora patrē, esse primū. Quomodo esset primum, nisi in secundâ tabulâ ab eo cœpisset? Ita habes & mandata distincta, & numerum eorum consummat. m.

summatum, & quæ & quot singulis tabulis scripta sint. Hæcibi Augustin.

Et licet alibi dissentiat, vt quæst. 71. in Exod. l. 2. tria mandata in priorem tabulam reijciens : tamen ibidem integra verba secundi præcepti recitat, & primo coniungit non omittit, vt antagonistæ solent : Deinde rationem istius divisionis affert infirmam allegoriam : Trinitatis mysterium ternario numero adumbrari : quæ non necessario concludit.

Hanc quidem Augustini partitionem Thomas, & Scholastici Theologi in Papatu secuti sunt. Veruntamen non omnibus approbarunt. Rupertus Abbas Tuitiensis in Exod. cap. 20. aliter sentit : Quatuor (inquit) ex decem præceptis subserviunt dilectioni DEI : nempe. 1. Non habebis Deos alios. 2. Non facies tibi sculptile. 3. non assumes nomen Domini in vanum. 4. Memento Sabbathi : Reliqua sex subserviunt dilectioni proximi. Habuit hæc sententia suos quoq; suffragatores.

Denique Sulpitius Severus scriptor vetus, *ὀρθόδοξος* Martini, cuius vitam descripsit (vixit autē ad annum 420.) nobiscum facit. Lib. 1. Hist. sacræ sic scribit : Non erunt, inquit DEVS, tibi Dei alieni præter me. Non facies tibi idolum. Non sumas nomen Domini tui in vanum. Sabbatho nullum opus facies. Honorifica patrem & matrem tuam. Non occides. Non mœchaberis. Non furtum facies, Non falsum testimonium dices adversus proximum tuum. Non concupisces quicquam proximi tui.

Hunc imitatus Polydorus Virgilius lib. 5. de invento-ribus rerum capite nono eadem serie decalogum recenset : Vnum Deum colito. Nullius animalis effigiem colito. Per Dei nomen haud frustra deierabis. Festos dies piè & ritè celebrato. Parentes venerare. Hominem ne occideris. Adulterium fuge. Furtum non feceris. Nihil alienum concupiveris. Nec falsum dixeris testimonium.

Quod Censores Pontificij ferre non potuerunt. Ideò in indice expurgatorio Belgico iusserunt expungi præceptum alterum : Nullius animalis effigiem colito ! satis pro imperio. Cùm igitur tot, & tantos autores habeamus : anne igitur adhuc adversariis nova, recens, nupera divisio nostra ?

Cùm

18. Cùm lex Dei sit spiritualis : Rom. 7. 14. non exter-
nam modò, sed internam in primis obedientiam, & perfe-
ctissimam conformitatem hominis totius cum voluntate
Dei postulat. Ideo dum vitia prohibet, virtutes ex adverso
mandat : & ex parte totum, ex vna specie, ceteras cognatas,
earumque causas & occasiones, in singulis præceptis intel-
ligi vult.

19. Primum præceptum post præfationem generalem,
qua sibi Deus legis lator autoritatem conciliat, & nos ad re-
verentiam & obedientiam excitat : quia sit noster Creator,
Dominus, & patronus beneficus : habet interdictum idolo-
triæ, vel cultus falsi fictitijque numinis : cuius variæ sunt,
imò infinitæ species.

20. Finis huius mandati est, vt vnus solus verus Deus
qui se peculiariter Ecclesiæ patefecit, internâ pietate, & purâ
religione, animòque sincero colatur, & honore debito affi-
ciatur.

21. Quod sit verâ ipsius agnitione, fide, spe, humili-
tate, patientia, dilectione & timore. Iubet ergo ; vt Deum
noris ex patefactionibus, vt ei soli fidas, acquiescas & inni-
taris : vt ab eo solo bona speres & expectes : vt humiliter ei te
submittas, ex collatione tuæ infirmitatis cum eius maiesta-
te : vt ei rebus adversis sine murmure pareas : vt eius con-
junctionem & favorem anteferas omnibus etiam carissi-
mis, vt eum reverearis & offendere caueas. Contrariam im-
pietatem simpliciter & seriò prohibet.

22. Secundo mandato prohibentur idola : & consequen-
ter *ἰδωλολατρεία*, vel superstitiosus, adulterinus & illegi-
timus cultus, hominum arbitrio inventus : vt si per, juxta
vel ad *εἰδωλα*, id est, simulacra Deus coli fingatur.

23. Vt enim prius præceptum vnius veri Dei cultum :
sic hoc alterum, veram colendi veri Dei rationem præscri-
bit, & hunc finem propositum habet, vt vnus ille verus Ie-
hova ritè colatur, nempe in spiritu & veritate, secundum
verbum à se patefactum : eique sincerus, purus, religiosus,
spirituali naturæ ipsius congruens cultus tribuatur, & nullâ
superstitione contaminetur.

24. Non solùm hîc vetat Deus adorationem & cultum
idolorum, hoc est, simulacrorum : sed omnes prorsus ima-
gines,

gines ad divinum numen repræsentandum ab hominibus excogitatas, vel vsibus sacris adhibitas, aut religionis causa introductas. Itaque piè factum à magistratibus illis, qui statuas & iconas eiusmodi è templis Christianorum eliminarunt.

25 Quare deplorandum est, aliquot doctores etiamnum iconomachiam nostris exprobrare: ac vt vivis imaginibus Dei impugnandis strenuam operam impendant: pro vanis & mutis simulacris ita confidenter certare. Quasi vero contra tot disertissima Dei maudata, veteris idololatriæ tropæa sive monimenta publicè prostare expediat, imò oporteat. Exod 20. 23. 24. Levit. 26. Deut. 4. 12. 16. 27. Iesaiæ 40. 42. 44. Act. 17. 1. Ioh. 5.

26 Nec enim hoc mandatum (sive prohibitio simulacrorum) est, vt illis videtur, ceremoniale præceptum solis Iudæis latum, sed æternum & morale. Nam eadem hodie vigent interdicti causæ quæ olim: ac idem periculum abominabilis idololatriæ Christianis imminet, si locentur simulachra honorabili sublimitate, vt benè monet Augustinus, in Psal. 113. de ritib. Eccles. ad Ianuar. c. 10. & Ep. 49. 119.

27 Imò si rudi illi populo, qui puer fuit, Deus tam severè omnibus simulachris interdixit: multò minus in Ecclesia Christiana toleranda fuerint. Certè primis quatuor, imò quinque seculis purioribus caruit Ecclesia imaginibus: quin & nefas existimavit, eas in templis exstare, & Iesum apud simulacra colere. Testatur Ælius Lampridius in Alexand. Christianorum templa caruisse simulacris illo tempore. Sic Origenes libro 7. cont. Cels. Lactantius verò non dubitat ita pronunciare: Quare non est dubium, ait, quin nulla religio sit, vbicunq; simulachrum est Lib. 2. c. 19. Epiphanius discidit velum in templo præferens imaginem Christi. Legatur epistola ad Ioann. Ierosol. quam vertit Hieronymus. Concilium Elibertinum in Hispania circa tempus Concilij Niceni decrevit Canone 36. Picturas in Ecclesia non esse debere, ne quod colitur aut adoratur, in parietibus depingatur.

28 At plebem erudiunt, ac id visui, quod auditui verbum, repræsentant. Ita quidem sunt opinati Pontifices Romani,

Romani, inde à Gregorio. I. Imò sic gentilis ille Philo-
 sophus Maximus Tyrius: Admonet (inquit serm. 38.) simu-
 lacrum nos Dei, sicut pueros nota memorialis. Sed contra
 Spiritus Sanctus pronuntiat, simulacra esse doctores vani-
 tatis & mendacij: Ieremiæ 10. 8. Habac. 2. 18. Zach. 12. 2:
 Et quoties Israel ea fecit habuitque, toties oblitum esse Ie-
 hovæ, & à Deo recessisse queritur Iud. 3. Hof. 2. 8. Tantum
 abest, vt in memoriam Deum revocarint. Item Christum
 crucifixū ob oculos nobis depingi prædicatione Evangelij,
 dixit Apostol. Gal. 3. 1. In quem locum Chrysoft. & scholia
 Græca annotant, Iesum in ministerio, oculis fidei exactius
 spectari, quam olim à præsentibus præsentē. Ac quid quæso
 docerent mutæ statuæ, quæ interpretē desiderant, & à Deo
 abducunt ad terrena? Ideo August. l. 1. de consensu Evan-
 gel. ait: Errare meruerunt, qui Christum & Apostolos
 non in sanctis codicibus, sed in pictis parietibus quæsi-
 verunt.

29 At ex corde prius idola extirpanda. Seculum igitur
 integrum ad evellendas has spinas, istis diligentibus pasto-
 ribus nondum suffecit? Imò removeantur ex oculis, vt eo-
 rum memoria deleatur ex animis: denique semel potius
 tollatur lapis offendiculi, quam de periculo ruinæ viatores
 vsque moneantur. Sed plus satis de istis: reliqua pertexa-
 mus.

30 Tertium præceptum, vanam & contumeliosam
 divini nominis usurpationem ac mentionem, & omnem
 abusum verbi Dei prohibet; honorificam autem eius pro-
 fessionem & summam reverentiam, externis etiam verbis
 & factis ipsi deferendam, exigit: vt ne quidquam sive di-
 rectè, sive obliquè, sive consultò, sive imprudenter, in illius
 ignominiam cedat ac redundet.

31 Imperat ergo nobis studium veræ doctrinæ de Deo,
 & propagationem eius; celebrationem Dei: Professionem
 veritatis: item zelum, qui est ardens dolor ob ignominiam
 Deo factam, eamque depellendi conatus: ac invocationem
 Dei legitimam, in primis in iurejurando.

32 Nec enim simpliciter interdicit Deus omni iura-
 mento, sicut anabaptistæ putant: sed illegitimo, falso,
 temerario, iniquo & inutili: præcipuè perjurio, quo sciens
 quis

quis fallit, vel malitiosè falsa asserendo, vel quæ præstare nolit, promittendo. Concedit autem, imò etiam jubet, vt in nomine suo iuremus, sed in veritate, iustitiâ & iudicio; quemadmodum docet propheta Ieremias c. 4. 2. id est, vt iuramentum sit de rebus veris, certis, iustis, & gravibus: ac non nisi circumspectè, prudenter, & reverenter præstetur: vt cum de gloria Dei, & salute proximi agitur.

33. Cum Deus in iureiurando tum vt testis & *καρδο-
γνώστης*, tum vt vindex periurij, in ipsam quoque animam invocetur: nefas est per sanctos angelos vel homines, aliàsve creaturas jurare.

34. Quarta lex mandat sanctificationem sabbathi, id est, publicum Dei cultum in cœtibus Ecclesiasticis, & vsum ac conservationem ministerij, vt verbum divinum doceatur, audiatur & discatur: sacramenta administrentur & vsurpentur: opera caritatis exerceantur: & imprimis sabbathum spirituale, id est, cessationem & quietem sanctam à peccatis, ac vt nos totos ei glorificando & celebrando consecremus.

35. Quinto præcepto sancitur ordo politicus, & mandatur honor parentum, id est, omnium superiorum, aliisque præfectorum, qui consistit in reverentia, vel agnitione & observatione potestatis superioris: in amore, gratitudine & obsequio in rebus non impiis, ac in *ἐπιεικείᾳ* tolerante infirmitates.

36. Sextum homicidia prohibet, eoque & causas & ἀφορμὰς eorum, vt iram, odium similtates, vindictam privatam, immanem sævitiam, *ἐπιχαίρειαν*, ac similia vitia: requirit autem vitæ tam propriæ quàm alienæ conservationem, eoque iustitiam nullum lædentem, mansuetudinem ac placabilitatem, humilitatem, misericordiam, & quæcunque virtutes iuvandæ hominis incolumitati serviunt.

37. Septimum interdicit non adulterio duntaxat, sed etiam fornicatione, & libidinibus, ac impuritate vniuersâ; item cogitationibus fœdis, sermonibus obscœnis, gestibus lascivis, inclinationibus spurcis, & occasionibus ac irritamentis eiusmodi peccatorum; è contrario mandat continentiam castitatem, tam in coniugata quàm cœlibe vita; vercundiam

recundiam abhorrentem ab omni turpitudine : denique temperantiam seu moderationem appetitionum naturalium.

38 Octavum damnat furta quælibet, alienarum facultatum tum occupationes, tum detentiones, sive fraudulentas, sive violentas, & iniustos contractus, quocumque nomine vulgo censeantur. sancit autem conservationem bonorum à Deo singulis ad huius caducæ vitæ sustentationem tributorum, propriamque rerum possessionem : & postulat iustitiam cōmutativam, sedulum laborem, *αὐτῶν* *κείων* sua sorte contentam, parsimoniam, frugalitatem, & liberalitatem in egenos.

39 Nonum vetat omne mendacium, quo falsa, non in foro tantum vel iudicio, sed in communi quoque vita & consuetudine, seu verbis seu factis significantur animo decipiendi : requirit autem *φιλαλήθειαν* tum in theoriâ, tum in praxi, vel vitæ actionibus; candorem item, docilitatem, & constantiam in vero.

40 Ultimo præcepto concupiscentia prohibetur, quæ est propensio & motus animi ad prava, & appetitio quævis rerum legi diuinæ repugnantium, & *ἀπειρία* in desiderio licitarum ac concessarum : eoque declaratur, Deum non externa tantum opera in actum erumpentia, sed interna etiam mentis cogitata, & intimos animi recessus suæ naturæ & voluntati planè consentaneos postulare.

41 Vnde illud etiam rectè colligitur, persuasionem & gloriationem de perfecta impletione legis Dei & omnium eius mandatorum in hac vita, nihil aliud esse, nisi vanissimum somnium delirorum monachorum & Anabaptistarum : cum nullus mortalium, vel de iis, qui à sanctitate, perfectione, sive integritate laudantur in scripturis, ita fuerit omnibus numeris absolutus, aut ab omni labe purus, aut à pravis concupiscentiæ motibus immunis, quin à rectitudine legis in plurimis aberrarit, & in vetita si non consensione plenâ, saltem propensione cupidâ millies inclinavit.

42 Neq; tamē ideò lex frustra vel olim à Deo lata est, vel hodie populo Dei proponitur & inculcatur: multò verò minùs ex Ecclesia Christiana releganda est, vt Antinomis allu-

bescit. Nam & vniuersos homines erudit, ac docet, quæ sicut illa bona, bene placens, & perfecta Dei voluntas. Rom. 12. v. 2. quæ facienda, quæ fugienda: & malos metu poenarum, omnibus transgressoribus legis constitutarum, ceu fræno, à peccatis retrahit; eoque audaciam improborum coercet, & disciplinam humanæ societati necessariam tuetur ac conseruat. Ipsos autem renatos quotidie in agnitionem peccatorum adducit, & de sua *aduersitate* commonefacit, vt de se, suaque propria iustitia desperantes, ad Christum, qui legis finis est, confugiant, & impletionem legis ac iustitiam ab ipso præstitam amplectantur: denique his etiam certissimus canon est vitæ, veræque gratitudinis, & norma cultuum Deo præstandorum, ad quam se totos, omnemque vitam conforment; ac licet ob imperfectionem, metam non apprehendant, tamen Apostoli exemplo, vnum hoc agant, vt eorum quæ à tergo sunt obliuiscant, ad ea verò, quæ à fronte sunt contendentes, scopum versus ferantur ad palmam supernæ vocationis Dei, in Christo Iesu. Phil. 3. 12. 14.

DE INVOCATIONE DEI.

I.

Omibus Christianis adultis est necessaria Dei inuocatio; quia præcipuus eius cultus est, quem à nobis frequenter exigit: & mediū ac ratio impetrandorum beneficiorum ipsius, ac testimonium Spiritus adoptionis in cordibus habitantis. Quin etiam ad assiduas preces instinctus naturæ impellit, & extrema nostra inopia nos adigit.

2. Est autem invocatio Dei, oratio, vel etiam affectus, aut desiderium, quo petimus à solo vero Deo propter Christum Mediatorem, secundum ipsius mandatum & promissiones, bona spiritualia & corporalia: quæque pro acceptis ei gratias agimus.

3. Deo *deus* ac legitima precatio notas habet has. 1. Dirigitur ad vnum verum Deum, Patrem, Filium & Spiritum sanctum, quarum personarum nulla excluditur, etsi vna solum, vt Pater, nominatur. 2. Proficiscitur ex humilitate, sensu inopiæ, & vero cordis affectu. 3. Fit in fide Mediatoris. 4. Secundum promissiones: quæ cum non sint vniusmodi; nec

di; nec omnia similiter petit, sed alia simpliciter, ea videlicet, quæ ad gloriam Dei, nostræq; animæ salutem omninõ pertinent: alia cum hypothesi, se diuinæ voluntati subiicendo: nempe bona corporalia, si Deo placeat, ac nobis expediat. De quibus sic statuere debes, vt Augustin. monet: Si scit Deus tibi prodesse, dabit illa: Si non dederit, non proderat habere illa. Tract. 7. in Iohan.

4 Impiè igitur faciunt, qui creaturas, Angelos, aut homines defunctos inuocant, quiq; idola & res inanimes (vt lignum, signum ve crucis) adorant: & sanctos mortuos Christo mediatores *ἑταλλήλας* vel subordinatos adiungunt; & impietatem hanc futilibus ac vanissimis distinctionibus *λατρείας* ac *δουλείας*, & mediatorum redemptionis & intercessionis palliare conantur. Item, qui merita sua coram Deo, non secus ac ille Pharisæus Luc. 18. allegat: qui preces lingua peregrina nec intellecta concipiunt & effutiunt, ac ad certum numerum recitant, idque cum opinione meriti remissionis peccatorum & vitæ æternæ: qui deniq; promissiones quasq; libet, sibi comminiscuntur: expressas autem in verbo diuino in dubium vocant, & fidem exauditionis legitimarum precum, arrogantiam & securitatem appellant.

5 Vt sciremus & quid, & quo affectu petendum esset, Dominus noster Iesus Christus, summus ille rectè dicendi & sapiendi magister, nobis formulam exquisitissimam, & vniuersalem præscripsit, vnde Dominicam Orationem vocamus: totius Euangelij breuiarium nominauit Tertullianus; ad cuius tamen singula verba non ita sumus astricti, quin & alijs vti liceat, modò eas res & eo modo precemur, quas & quo Seruator in hoc compendio nos orare iussit. Sic ait Tertullianus, Hic est modus legitimus orandi, in quo summatim preces vniuersæ piorum continentur. Cyprian. in sermone de Oratione Dom. Dei Filius etiam orandi formam dedit; ipse quid precaremur, monuit & instruxit. Quæ vera magis ad Patrem precatio, quam quæ à Filio, qui est veritas, de eius ore prolata est: vt aliter orare quam docuit non ignorantia sola sit, sed & culpa.

6 Hæc forma precum tribus partibus constat: Proœmio, Petitionibus sex, quarum tres priores Dei gloriam, posteriores nostra commoda respiciunt, & Epilogo. Iniquam autem

autem censuram illorum non moramur, qui scribunt, perperam à nobis in Catechismo sex numerari, quia septima petitio sit hæc, Libera nos à malo; eaq; cum sextâ non confundenda. Nam aduersatiua particula, sed, aperte demonstrat, illud posterius membrum esse exegefin prioris, ne nos inducas in tentationem, sed libera, &c. Deinde Tertullianus in libro de oratione nobiscum sentit; Et Cyprianus de oratione Dominica, non diuersam hanc petitionem dicit, sed clausulam, vniuersas petitiones collecta breuitate cõcludentem. Sed quid attinet, de numero pugnare, modo de re & sententia vera constet?

7. In proœmio compellamus Patrem nostrum cœlestem: ex iussu seruatoris nostri: quibus vocibus docuit, & quem, & qua spe ac fide deberemus inuocare, nempe verum Deum, Patrem æternum Filij cœterni, & ipsum Filium, & Spiritum sanctum; quæ personæ distinguendæ, non separandæ sunt: à quo, tanquam optimo & blandissimo patre, simul etiam potentissimo, cœli terræq; monarcha, nobis tanquam filijs adoptiuis, humiliter & votis concordibus, ac suspirijs coniunctis supplicantibus, possumus & debemus summa quæq; polliceri, & bona fiducia expectare.

8. Qui sigillant illud vernaculum, in Catechesibus & Ecclesijs nostris receptū, Unser Vatter & vrgēt dicendum esse, Vatter Unser; commiseratione digni sunt. Nec enim ita cauillarentur, si vel D. Lutheri versionem Germanicam in Matth. cap. 6. & Luc. cap. 11. inspicere, vel Ioh. Brentij Catechesin maiorem consulere, aut saltem audire vellent: vbi sic iste pronuntiat: Male dicitur Germanicè, Vatter Unser; &c. Germanica enim lingua non solet pronomina suis nominibus postponere, sed præponere &c. Meminerimus veterem errorem, cui assuescimus à teneris, in tantum valere, vt ne quidem pro errore agnoscamus, &c.

9. Prima petitione sanctificationē nominis diuini precamur, hoc est, vt ipsum ex operibus, & imprimis ex verbo rectè agnoscamus; deinde verbis & factis indefinenter celebremus: vt vbiq; gloria eius vigeat: contra verò, vt è medio tollantur, quæcunq; Dei gloriam obscurant & profanant.

10. Secunda petit aduentum regni Dei, tum gratiæ, per Euangelij prædicationem & nostri regenerationē, tum glo-

riæ, quæ post illustrem Christi reditum è coelis revelabitur etiam in filiis Dei: domitis omnibus hostibus, & planè destructo regno tenebrarum.

11 Tertio loco rogamus, vt faciamus officium, tum cōmune omnium piorum, tum proprium cuique; & obsequamur Deo tanta promptitudine, fide & studio, quanto, qui in coelis sunt, ipsi seruiunt: utque paciēter feramus quæcunque Deus nobis in hac vita immitit: Denique summā contentinē voluntatē eius in Evangelio & lege patefactā exequamur.

12 Quarta Deum pro τοῖς βιωτικῖς, victu, amictu, ceterisque bonis corporalibus appellat: à cuius providentiā toti pendeamus, ut qui nobis de necessariis huius vitæ adminiculis, quoad expedit, liberaliter prospicere non dedignetur.

13 Quinta deprecatur culpam, & veniam delictorū petit, ne à Deo tāquam indigni peccatores reiciamur: & simul exomologesin edit, tum peccatorum, quæ desicamus & fugiamus, cum nos æternæ mortis debitores, aut reos faciant; tum clementiæ Dei, gratis nobis illa condonantis: deniq; & proximo mutuam remissionem, dilectionem, adeoq; pœnitentiam non simulatam pollicetur.

14 In sexta deprecamur tentationem malam, ne à Satana, carnis nostræ cupiditatibus, aut mūdo, nobis continuas insidias struentibus, ad peccādum impellamur, nedum vincamur: postulamus autem, vt Deus nos spiritu fortitudinis instruat, & contra hostes muniat, in sancto proposito cōfirmet, vt inuicti stemus, & tandē à malo nos plenè liberet.

15 Cū neq; hic vitiligatorum quorundam reprehensionem effugere possimus, propterea, quod per nomen Mali diabolus intelligamus; illos saltem velimus iterum inspicere D. Lutheri maiorem Catechesin, vbi faterur, Græcum sonare, *Ὁ μὲν ἀργὸν ὄνερ βοῆσῆστίγεν/δὲμ Satan/ &c.* Sane ὁ πρῶτος nomen Satanæ tribuitur frequēter in nouo Testamento, vt Matt. 13. 19. Malus dicitur, qui Marc. 4. Satanus: Luc. 8. 12. Diabolus. Eph. 6. 16. 1. Ioh. 2. 13. Et Tertullianus de fuga sic enunciat: Erue nos à maligno, id est, Diabolo. Nos tamen omnia mala simul comprehēdimus, quæ contra nos in hoc mūdo molitur inimicus. nam quādo dicimus, Libera nos à malo, nihil remanet, q̄ vltiā adhuc debeat postulari, cum

cum semel protectionem Dei aduersus malum petamus, qua impetrata, contra omnia quæ diabolus & mundus operantur, securi stamus & tuti: vt Cyprianus in expositione sua loquitur.

16 Denique falsissimas illas criminationes; Catechesin nostram Epilogum precationis Dominicæ vocare in dubiū; vel eum tantummodo in gratiarum actionem transformare, ipsa Catechesis refutat: & quotquot eam vel aspexerint, tum de his, tum de aliis eiusmodi, quæ sine fronte nobis affinguntur, certè nos excusabunt.

Ex hac breui & perspicuâ sanæ doctrinæ repetitione, liquiddò cuius de religionis nostræ ὀρθοδοξία & fidei ἀληθινότης: deq; calumniarū contra nos temerè iactatarū vanitate constare potest. Quòd vberius etiam, si opus sit demonstrabitur. Oramus autē Deum Patrem, & Filium eius, Dominum nostrum Iesum Christū, vt per Spiritum sanctum nos sanctificet in veritate sua, verbiq; sui, quod est veritas, lucem nobis & posteritati vsque in diem plenæ redemptionis seruare velit, ad sui nominis gloriam & nostram salutem. Amen.

F I N I S.



Sed in primis hoc propono: vnum vtiq; & certum aliquid institutum esse à Christo, quod credere omni modo debeant nationes, & idcirco querere, vt possint, cū inuenerint, credere. Vnius porro & certi instituti, infinita inquisitio non potest esse: quærendum est, donec inuenias, & credendū, vbi inueneris: & nihil amplius nisi custodiendum quod credidisti: dum hoc insupercredis, aliud non esse credendum, ideoq; nec requirendum, cum id inueneris & credideris, quod ab eo institutū est, qui non aliud tibi mandat inquirendum, quàm quod instituit. De hoc quidem si quis dubitat, constabit penes nos esse id quod à Christo institutum est.

Regula est autem fidei, vt iam hinc, quid defendamus, profiteamur, illa scilicet, quā creditur, vnum omnino Deum esse, nec alium præter mundi conditorem, qui vniuersa ex nihilo produxerit per verbum suum primò omnium emissum: id verbum filius eius appellatum, eius in nomine Dei variè visum Patriarchis, in Prophetis semper auditum, postremò delatum ex spiritu Dei & virtute in virginē Mariam, carnem factum in vtero eius, & ex ea natum hominē & esse Iesum Christum: exinde prædicasse nouam legem, & nouam promissionem regni cœlorum, virtutes fecisse, fixum cruci, tertiâ die resurrexisse: in cœlos ereptum sedisse ad dexteram patris, misisse vicariam vim spiritus sancti, qui credentes agat: venturum cum claritate ad sumendos sanctos in vitæ æternæ & promissorum cœlestium fructum, & ad profanos iudicandos igni perpetuo, facta vtriusq; partis resuscitatione cum carnis restitutione. Hæc regula à Christo vt probabitur instituta, nullas habet apud nos quæstiones, nisi quas hæreses inferunt, & quæ hæreticos faciunt.

Errata sic restitue.

Pag. 5. Aphorismo. 11. lin. 2. fictitio. p. 7. a. 17. l. 23. Ichouæ. p. 10. a. 32. l. 8. dele. religio nostra, & reponere: eaq; omnium electorum, qui veritatem pietatis agnoscunt Eph. 4. v. 5. Tit. 1. v. 1. 33. Nam religio nostra. p. 11. a. 35. Et capite ultimo: omissa sunt sequentia: Non sit nobis religio in phantasmatibus nostris. Melius est enim qualecunq; verum, quam omne, quicquid pro arbitrio fingi potest, &c. Non sit nobis religio humanorum operum cultus. Meliores enim sunt ipsi artifices, qui talia fabricantur, quos tamē colere non debemus, &c. Non sit religio cultus hominum mortuorum; quia, si pie vixerunt, non tales quærunt honores, &c. Honorandi ergo sunt propter imitationem, non adorandi propter religionem, &c. Hoc etiam ipsos optimos angelos, & excellentissima Dei ministeria velle credamus, ut vnum cum ipsis colamus Deum, cuius contemplatione beati sunt, &c. Religet ergo nos religio vni Omnipotenti Deo; quem colere, & tenere nos conuenit: Vnius substantiæ trinitatē, vnum Deum, à quo sumus, per quem sumus, in quo sumus, à quo discessimus, cui dissimiles facti sumus, à quo perire non permisi sumus: principium ad quod recurrimus, formam quam sequimur, & gratiam, qua reconciliamur, &c. Vide lib. de vera religione c. 55. Tom. prim. Pag. 11. a. 36. l. 2. scripturis: a. 37. l. 5. 23. p. 12. a. 38. l. 4. Infidelium: a. 40. l. 1. erafo: p. 14. a. 44. l. 9. natarum: p. 15. a. 45. l. 2. pro id est; lege, vel a. 46. l. 14. r. venditores: p. 17. a. 49. l. 2. singulæ, & omn. p. 19. a. 57. l. 10. quiritentur: p. 20. a. 62. l. 7. deuotus: p. 21. a. 64. l. 10. reapse: p. 22. a. 2. l. 4. notatis Dei: p. 32. a. 22. l. 7. Pelagianum: p. 35. a. 8. l. 7. Pro sic, lege, id est. p. 41. a. 17. l. 4. Ut ipsa. p. 42. a. 18. l. 5. Dæmones etiam. a. 19. l. 12. cælo. p. 43. a. 21. l. 10. Vide Cyr. p. 44. a. 22. l. 8. 113. p. 45. a. 26. l. 2. adorationis. p. 47. a. 4. l. 3. donis necessariis: a. 7. l. 4. *καὶ*: p. 48. a. 9. l. 1. 9. Nimir. l. 17. Eph. 1. a. 10. l. 3. thesauro, synagoga Roman: p. 49. a. 12. l. 5. Ioh. c. 1. p. 51. a. 21. l. 8. dele 4. p. 52. a. 25. l. 2. Et, profitentur. p. 56. a. 6. l. 4. Corrept. p. 57. a. 13. l. 8. diserte. p. 59. a. 14. l. 10. pro v lege Et. l. 19. 25. a. 15. l. 7. æterne; adde; quod in operibus fiducia sit collocanda: l. 10. 32. p. 6. a. 4. l. vltima, lege sacrament: p. 61. a. 10. l. 8. analogia vel similitudine: p. 63. a. 15. l. 22. confertur, ita intellig. p. 64. a. 19. l. 2. *ἀναπόδειξις*: p. 67. l. 8. Et August. in Leuit. l. 10. dele Cyprian: p. 69. a. 10. l. 7. viuam: p. 76. a. 17. l. 20, 249: 295. l. 35. *οἶον*:

Ca 1810.02

ULB Halle
007 378 173


3




von

50 Nr







DE VERA
RELIGIONE,

POTISSIMA CAPITA DO-
CTRINÆ CHRISTIANÆ PERSPI-
cuè & breuiter exponentes,

E T

*Orthodoxam confessionem Ecclesiarum Electo-
ralis Palatinatus asserentes,*

In vsum Studiosorum S. Theologiz,

Scripti à

QUIRINO REUTERO D.



HEIDELBERGAE

E Typographeio Johannis Lancelloti

CIO IO CII.

